



Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei Praecepta Pars ...

Tractatus I. Prooemialis De Principiis communibus Doctrinae Moralis,
Conscientia, Actu Humano, Et Peccato In Genere

Sporer, Patricius

Salisburgi, 1713

Caput VI. De Subjecto Peccati: & maximè de peccatis internis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59488](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59488)

moraliter, jussu, consilio, concursu &c. aut per se
graviter damnificat, non item si leviter tantum.

CAPUT VI.

DE

SUBJECTO PECCATI,

Et Peccatis maximè internis.

SUMMARIUM.

- 1. Subjectum peccati triplex assignari solet.
- 2. Formaliter & primariò esse potest in voluntate,
- 3. Eaque sola.
- 4. Secundùm rationem, vel portionem superiorem.
- 5. In aliis verò potentiis, & membris secundariò solum.

Subjectum peccati triplex assignari potest.

I. Subjectum peccati ultimum, seu denominationis, est ipse homo seu persona peccans.
 II. Subjectum peccati immediatum seu inhæsi-
 onis est potentia hominis eliciens seu exercens a-
 ctum peccaminosum. III. Subjectum intrinse-
 cum, seu potius materiale peccati est ipse actus
 peccaminosus, unde nata est alia celebris divisio
 peccati in peccata cordis, oris, & operis, de qui-
 bus infra. Modò pro fundamento dicendorum
 sit

ASSERTIO I.

Peccatum formaliter & primariò potest esse in
voluntate sola secundùm rationem vel portio-
nem

nem superiorem: non item secundum portionem inferiorem, aut in aliis potentiis & membris æternis, nisi secundario tantum. Communissima doctrina. D. August. lib. 12. de Trinit. c. 12. D. Thomas 1. 2. q. 15. art. 4. ac re ipsa Scotus quæst. 1. ars. 3. & in 2. dist. 42. q. 4.

§. I.

IN Voluntate. Observa hic ex S. Augustino proxime citato, mentem humanam, quoad rationem & voluntatem, dividi in rationem ac portionem superiorem, & inferiorem. Ratio superior (quam S. Augustinus comparat viro) dicitur intellectus, quatenus judicat secundum rationes æternas. Utpote secundum legem Dei, secundum regulas honestatis vel inhonestatis, in ordine ad gloriam vel pœnam æternam. Ratio inferior (uxori comparata) dicitur idem intellectus, quatenus judicat secundum rationes temporales, utpote commodi vel incommodi sensibilis & temporalis tantum. Et ita proportionaliter in voluntate; Portio superior dicitur, quatenus tendit in objecta, ut regulata per rationem superiorem, secundum rationes æternas, seu regulas honestatis & inhonestatis. Portio inferior vero dicitur eadem voluntas, quatenus tendit in objecta, ut regulata vel potius declinata per rationem inferiorem, secundum rationes temporales commodi vel incommodi sensibilis. Aliis verbis, sed re ipsa coincidentibus, explicat Scotus: Portionem superiorem esse voluntatem quatenus tendit in sua propria objecta, nimirum primario in ultimum finem, & in

omnia alia in ordine ad hunc finem: Atque ad hoc
solum regulariter per rationem superiorem secun-
dum rationes æternas: Portionem verò inferio-
rem esse eandem voluntatem, quatenus tendit in
objecta propria appetitûs sensitivi, scilicet com-
modum sensibile, quod idem est, ac secundum
rationes temporales.

§. II.

IN Voluntate sola. Ratio est. Quia omne pec-
catum essentialiter debet esse voluntarium ac
liberum. Peccatum enim ad eò voluntarium est,
si voluntarium non sit, eo ipso peccatum non
fit, uti docet *S. August. l. 1. Retract. c. 13.* ergo
peccatum formaliter & primariò potest solum
esse illi potentia, quæ formaliter & primariò
voluntaria ac libera: atqui sola voluntas prima-
riò formaliter & essentialiter libera est, secundum
omnes: ergo in sola voluntate formaliter &
primariò potest esse peccatum, non item in aliis
potentiis. Unde in primis motibus concupiscen-
tiae nullum posse esse peccatum infra defendetur.
Et quamvis Doctores, volentes actum externum
addere aliquam malitiam super actum internum,
dicant, in potentia externa posse esse peccatum
formaliter: at non dicunt primariò, sed solum
secundariò & dependenter à voluntate esse, omnes
satiscentur. Vide de hoc dicta supra c. 3. q. 4.

§. III.

**IN sola voluntate secundum rationem ac portio-
nem superiorem.** Ratio iterum est. Quia pec-
catum debet esse voluntarium, & ideo præcogni-
tum

tum quoad suam malitiam seu deformitatem contra rectam rationem vel legem: atqui ipsa ratione superiori secundum rationes aeternas cognoscuntur peccata formaliter secundum suam malitiam seu deformitatem contra rectam rationem vel legem, ut ex terminis liquet: ergo ipsa voluntate secundum portionem superiorem duntaxat, quatenus scilicet tendit in objecta ut proposita per iudicium rationis superioris secundum suam malitiam ac deformitatem, potest esse peccatum formaliter & primario: adeo ut sicut actus nunquam fit bonus moraliter & honestus, nisi sit à voluntate secundum iudicium rationis superioris juxta rationes aeternas, ita nullum unquam potest fieri peccatum, seu actus malus moraliter & inhonestus, nisi fiat à voluntate praeter vel contra rationis superioris iudicium, juxta rationes aeternas proponens talem actum esse malum & inhonestum: non ergo etiam in ipsa voluntate secundum portionem inferiorem: sic enim tendit in objecta praecise secundum rationem commodi vel incommodi sensibilis & temporalis, eodem profectus modo, quo appetitus sensitivus seu sensualitas etiam in brutis, ubi sine dubio non potest esse peccatum secundum se; multò minus in aliis partibus & membris externis, formaliter & primario: sed

§. IV.

Supposito ergo voluntatis, secundum portionem superiorem operantis imperio, consensu vel permissione, *secundario tantum* peccatum potest

potest esse in omnibus aliis potentiis ac membris
 externis, quatenus in suis actibus subsunt imperio
 voluntatis: adeo ut primò, & formaliter peccata
 solum sint actus voluntatis elicit; *imperantes, con-*
sentientes, & permittentes: actus verò aliarum po-
 tentiarum, & membrorum, solum ut imperati,
 admitti, vel permissi à voluntate, adeoque *secun-*
dariò tantum peccata sint. Itaque imperante,
 consentiente, vel cum posset, & deberet impedi-
 re, permittente voluntate secundum portionem
 imperantem operante, peccatum secundariò esse
 potest: I. In intellectu, ut cogitationes malæ, su-
 perstitiones, iudicia temeraria, hæresis, &c. II.
 In phantasia sensitiva; imaginationes turpes, &c.
 III. In appetitu sensitivo seu sensualitate; appe-
 titiones rerum malarum, delectationes morosæ,
 maximæ venereæ, &c. IV. In potentiis, & mem-
 bris externis; ut voluntariè illicita, vel ad finem il-
 licitum videre, audire, gustare, loqui, tangere,
 ambulare; &c. Ratio omnium est. Quia in
 omni illo potest esse peccatum secundariò, cujus
 actus proprius aliquo modo voluntariè illicitus
 est, seu peccatum est; actus autem proprii intel-
 lectus, phantasiæ, appetitûs, ac potentiarum,
 membrorumque externorum, facti sic imperante,
 consentiente, vel permittente voluntate circa ob-
 jecta illicita, verè illiciti, & peccata sunt: ergo in
 his omnibus potest esse peccatum secundariò, &
 quidem formaliter, non materialiter tantum, ut
 cum Scoto citat. *quodlib. 18. art. 3. docent Me-*
dana, Vasquez, & alii, quos refert, & sequitur

Tanner. hic disp. 4. q. 8. dub. I. Et hinc peccata alia interna, alia externa dicuntur.

SECTIO I.

Peccata interna, & externa, seu Cordis, Oris, & Operis.

SUMMARIUM.

6. Divisio peccati in cordis, oris, & operis, ut in speciebus.
7. Ut in gradus distinctos.
8. Qualis ordinariè sit processus practicus ad peccatum æternum.
9. Cogitationes, & imaginationes, rerum malarum secundum se indifferentes sunt: facta autem voluntaria, bona vel mala esse possunt.

Divisio hæc tradita à D. Hieron. in *Enchiridion* 43. dicente: *Aut enim cogitationibus, aut sermone, aut opere peccamus*: duobus modis intelligi, & explicari potest, tanquam in speciebus, & tanquam in gradus tantum.

§. I.

Peccata cordis, oris, & operis, ut species diversa.

6. **P**eccata cordis, seu interna universaliter dicuntur, quæ fiunt, & consummantur (quasi in corde) in potentiis internis, utpote voluntate, intellectu, phantasia, appetitu sensitivo: Ut odium DEI, & Proximi, hæresis, superbia, avaritia, invidia, delectatio morosa. Peccata Oris dicuntur, quæ supposito voluntario interno, consummantur solo sermone, vel prolatione verborum: ut blasphemia, perjurium, maledictum,

mendacium, &c. Peccata operis dicuntur, quæ
supposito voluntario interno consummantur ope-
re externo, seu per exercitium potentiatarum, ac
membrorum externorum: ut furtum, homici-
dium, fornicatio, &c.

§. II.

*Peccata Cordis, Oris, & Operis ut gradus
distincti.*

UT sensus sit: peccata aliqua sunt, quæ incipi- 7
unt cordis cogitatione: incrementa capiunt
in sermone: & complentur seu consummantur
opere vel factio externò, ut fieri constat in fornica-
tione, homicidio, &c. Alius sensus esse potest,
respectu diversorum peccantium in simili genere
peccati: v. g. Unus delectatur corde tantum in
cogitatione fornicationis, nolens loqui, aut fa-
cere turpia. Alius delectatur, & loquitur. Ter-
tius delectatur, & loquitur, & consummat opus.
De Peccatis externis seu oris, & operis in genere,
nihil hic speciale dicendum superest: multa verò
de peccatis internis seu cordis, multa per omnem
modum & multum difficilia; interim tamen sci-
entiam formæ necessaria, quia in praxi frequentissima,
confortare, conabdr explicare ad captum tuum.

§. III.

Processus practicus ad peccatum internum

ORDinariè talis est. I. Ex sensibus externis vel 9
alia causa excusante, fit imaginatio rei dele-
tabilis vel contrariæ in phantasia: atque ob natu-

ralem ac intimam connexionem potentiarum, statim de eadem re fit cognitio, vel cogitatio in intellectu; prius secundum rationem inferiorem, ut res delectabilis, vel contraria est: deinde secundum rationem superiorem, ut quid malum seu peccatum est, contra rectam rationem vel legem DEL. II. Ex imaginatione phantasiae sequitur aliquis motus amoris, vel odii; delectationis vel tristitia, aut irae in appetitu sensitivo; & ob dictam connexionem potentiarum, statim fit similis motus in ipsa voluntate. III. Voluntas consentit aliquando quidem consensu efficaci in ipsum opus, v. g. vindictam, copulam, &c. & dicitur propositum, vel Desiderium. IV. Aliquando vero consentit consensu solum inefficaci, & simplici complacentia in ipsum tantum motum delectationis, irae, &c. & dicitur delectatio morosa. Haec ergo quatuor accuratè distinguenda, & explicanda sunt. 1. Cogitatio, & imaginatio. 2. Motus internus. 3. Propositum vel desiderium, seu consensus in opus. 4. Delectatio morosa, seu consensus in motum tantum. Primum nullam habet difficultatem. De aliis tribus, distinctis Sectionibus sequentibus agemus.

§. IV.

*Cogitationes, & Imaginationes moralium
verum*

ETiam pessimiarum, secundum se sunt omnes, non naturales & indifferentes, ac manent tales, quandiam sunt involuntariae, factae autem vo-

voluntariae per imperium vel consensum voluntatis, possunt esse tam bonae, quam malae. Nam 1. si assumantur ad bonum finem, v. g. studendi, docendi, dolendi, &c. erunt bonae, & meritoriae. 2. si assumantur vel permittantur ad malum finem, impute operationem malam, vel delectationem inhonestam, erunt malae mortaliter, pro ratione materiae. 3. Si assumantur vel permittantur sine ullo bono fine ex sola curiositate vel levitate, erunt malae venialiter, & otiosae. 4. Cogitationes tamen, & imaginationes de rebus obisconis, practice loquendo ferè semper sunt malae mortaliter, si voluntarie, & morose fiant, cum aliqua saltem speculativa delectatione, ut infra dicam ex professo. num. 29.

SECTIO II.

Motus ad malum qualiter Peccata.

SUMMARIUM.

10. Motus, seu passiones in homine excitatae, aliae sunt naturales, aliae sensuales, aliae rationales.
11. Motus primò primi ante omnem advertentiam vel deliberationem rationis superioris nullo modo peccata sunt.
12. Motus verò secundò primi, veniales tantum.
13. Motus autem deliberatè admissi, vel questiti, in materia mortali, mortales sunt.
14. Sicut et pure permissi, nisi voluntas saltem simplicem nolentiam vel displicentiam eliciat.
15. Habito autem tali actu contrario nolentiae vel displicentiae simplicis, non tenetur voluntas posse ibi resistere sub mortali.
16. Sed ordinariè saltem: sub veniali.
17. Applicatio practica.

Hh. 3

Mo

I Motus generatim dicuntur passiones seu d-
 terationes quaedam excitatae in homine. &
 brevi transeuntes: Alii sunt merè *naturales*, qui
 ex naturalium qualitatum dispositione oriuntur,
 ut calere, frigere, fames, sitis, pigritia, vel corporis
 naturalis, &c. de quibus hic non est sermo: Alii
 sunt motus *sensuales*, qui ex apprehensione po-
 tentiae imaginativae, seu phantasiae circa objectum
 delectabile vel contrarium sensibile excitantur in
 appetitu sensitivo, seu sensualitate, communes
 homini cum brutis: Alii denique sunt motus *ra-
 tionales*, qui ex cognitione ipsius intellectus circa
 objectum conveniens vel disconveniens, seu sen-
 sibile, seu quodcumque aliud, excitantur in ipsa
 voluntate. Utpote motus *amoris, odii, delecta-
 tionis, tristitia, ira, &c.* Omnes quoque hi mo-
 tus secundum se naturales sunt, & indifferentes;
 & morales, boni vel mali, fiunt per ordinem ad
 rationem, & voluntatem; & eo respectu, alii
 dicuntur *primò primi*, alii *secundò primi*; alii *om-
 ninò deliberati*; & hi, vel *admissi*, positivo con-
 sensu vel imperio; vel *permisii* tantum, voluntate
 se negativè habente.

§. I.

Motus primò primi, sine peccati

II Sunt, qui ex apprehensione objecti convenien-
 tis, vel disconvenientis excitantur naturaliter
 in appetitu sensitivo, vel ipsa voluntate, ante con-
 sensionem tamen advertentiam, vel deliberationem ra-
 tionis superioris: quod signanter dico; nam li-
 cet

ex imaginatione, seu apprehensione sensitiva
objecti convenientis, vel disconvenientis, ob na-
turalem subordinationem potentiarum, statim
moveretur intellectus ad cognoscendum vel cogi-
tandum idem objectum sub eadem ratione con-
venientis vel disconvenientis sensibilis præcisè,
hoc est, secundum rationem inferiorem: ita etiam
ex motu appetitus sensitivi, v. g. delectationis,
tristitiæ, &c. ob eandem sympathiam potentia-
rum statim solet moveri voluntas ad similes mo-
tus delectationis vel tristitiæ, circa idem obje-
ctum, & secundum eandem rationem conveni-
entis vel disconvenientis sensibilis, hoc est, se-
cundum portionem inferiorem. Quamdiu tam-
en intellectus non advertit ad eos motus secun-
dum rationem superiorem, quatenus scilicet sunt
mali, inhonesti, vel prohibiti, tamdiu manent
motus primò primi. Hi ergo

Motus primò primi, cum nullo modo sint vo-
luntarii, sed omnem voluntatis liberum assensum,
omnemque advertentiam ac deliberationem ra-
tionis superioris præveniant, nullo modo peccata
esse possunt. Nullo enim modo est in potestate
voluntatis, quin vel ex actibus sensuum externo-
rum, & phantasie, vel ex naturali dispositione
qualitatum, vel etiam operante diabolo in sensua-
litate, & ob naturalem connexionem ac sympa-
thiam etiam in voluntate secundum portionem
inferiorem excitentur, vel continentur; etiam
post advertentiam vel deliberationem rationis su-
perioris, ipsâ voluntate maximè nolente, abhor-

rente, repugnante, secundum portionem superiorem, & rationes aeternas: quod etiam viri sanctissimi experti sunt, & experiuntur. Conqueritur D. Paulus Rom. 7. *Condelector legi DEI secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Igitur ego mente seruo legi DEI; carne autem legi peccati.* Et alibi: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Tali ergo statu, tantum abest, ut motus illi peccata sint, quin sint materia maxime meriti.

§. II.

Motus secundo primi, veniales tantum

Sunt, qui in appetitu sensitivo, vel ipsa voluntate excitantur, cum aliquali quidem, sed imperfecta tantum, & semiplena advertentia, ac deliberatione rationis superioris: qualis fieri est in semidormientibus, semiebriis, distractis, turbatis variis, & vehementibus passionibus, qui licet malitiam motus vel actus sui aliquo modo advertant, non tamen possunt perfecte attendere ad regulas rectae rationis, & honestatis, ut plene ac perfecte judicent, esse malum vel inhonestum, quod agunt, vel quo occupantur. Ut etiam supra c. 2. num. 42. explicavi. Hi ergo motus secundo primi, etsi jam subsint aliquali, & semipleno dominio voluntatis, ut teneatur eos impedire, ne facta deliberatione, ad plenum consentiant.

um pertingant; quod licet voluntas negligat, & complacere vel consentire videatur, tamen ob imperfectionem advertentiæ & deliberationis, non potest esse perfectus, & liber consensus in malum, utpote non sufficienter propositum, ideoque non nisi leviter & venialiter peccare censeri potest. Signa autem imperfectæ deliberationis, ac semipleni tantum consensus habes breviter supra, dicto c. 5. num. 12. De imperfectione actus a mortali excusante.

Juxta dicta intelligi, & explicari potest sententia D. Thomæ I. 2. q. 7. art. 4. & D. Bonaventuræ I. 2. d. 24. p. 2. art. 3. q. 2. ubi negant, in sensualitate posse esse peccatum mortale, sed tantum veniale. Et forte etiam, ibidem S. Thomas art. 3. q. 3. dicit, motus sensualitatis, qui præveniunt rationem, esse peccatum veniale. Verum enim est, de motibus & actibus sensualitatis, qui præveniunt rationem perfectam, seu plenam deliberationem intellectus, interina tamen stant cum aliqua imperfecta advertentia rationis, & semipleno, saltem interpretativo consensu voluntatis. Tales enim motus veniales tantum sunt; & eo statu non potest esse in sensualitate peccatum mortale, sed tantum veniale. Cæterum eos motus, qui in sensualitate perveniunt simpliciter omnem rationem, hoc est, omnem intellectus advertentiam, omnemque voluntatis consensum, adhuc esse peccata venialia, ut volunt Cajetanus, Scotus, & alii apud Vasquez I. 2. disp. 106. art. 2. & 3. merito ab aliis communiter improbatum. Nam

in primis Concilium Tridentinum *Sessione 5. in Decreto de peccato originali*, mihi n. 5. definit, concupiscentiam non nocere non consentientibus atque si motus sensualitatis secundum se, ac seculo voluntatis consensu essent peccata venialia, utique nocerent non consentientibus. Et ibidem supponit Concilium, ut certissimum, parvulos ante usum rationis non posse peccare; at si motus sensualitatis omnem rationem prævenientes essent peccata venialia, cur non etiam pueri ante usum rationis possent peccare? Deinde S. August. supra allegatus, & alibi sæpius constanter asserit, omne peccatum necessario esse voluntarium, ut si voluntarium non sit, eò ipsò peccatum non sit: ergo secundum ipsū motus omnino involuntarii, omnem rationem prævenientes non possunt esse peccata ullò modo. Quòd verò ipsemet l. 5. *Contra Julianum Pelag. c. 3.* & alibi, concupiscentiam vocet peccatum, intelligit non proprie, & formaliter, sed improprie, & originaliter vel casualiter, quia nimirum ex peccato primorum parentum originem trahit, & ad peccatum trahit, si reginam mentem superet, uti ipsemet pulcherrime explicat l. *De Nuptiis, & concupiscentia c. 23.* dicens de concupiscentia: *Vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum. Sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itémq; sic vocatur peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigerum, non quòd*

quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat. Hæc Augustinus ibi, & similia alibi.

Dices cum Adversariis. Quamvis homo, exorta jam cogitatione vel apprehensione objecti mali motum sensualitatis seu appetitûs omninò cohibere non possit, potest tamen impedire, ne talis cogitatio in animo exoriat, occupando se aliis cogitationibus bonis. Ergo quando negligit impedire, cum posset, & deberet, motus appetitûs in malum indirectè voluntarius evadet & ideò peccatum saltem veniale. Respondetur concedendum. Tunc enim motus talis non prævenit omnem rationem, ut patet. Interim tamen negari non potest, primam cogitationem objecti in quovis negotio minimè esse voluntariam: ergo neque motus illam primam cogitationem immediatè sequens in appetitu vel etiam ipsa voluntate ullo modo voluntarius, & peccatum erit, quousque accedat advertentia rationis superioris.

§. III.

Motus deliberati admissi mortales.

Motus omninò deliberati dicuntur, qui post plenam deliberationem, intellectu secundum rationem superiorem jam plenè advertente ac proponente malitiam, à voluntate pleno ac libero consensu admittuntur, aut etiam, quod deterius est, ex proposito & directo imperio excitantur. Hi motus ita *admissi* vel quæsi, utpote liberè & directè voluntarii in materia mortali, v. g. odii, vindictæ, libidinis, sine controversia peccata

cata

eata mortalia sunt, quia voluntariè tendunt in ob-
 jecta mortalia : ut infra latè specificabitur in de-
 lectationibus morosis. Quòd si porro ejusmodi
 motus deliberati sint indirectè tantum vel inter-
 pretativè voluntarii, scilicet in causa posita vel
 non ablata : v. g. turpia cogitando, aspiciendo,
 legendo, loquendo, audiendo, tangendo, aliamve
 actionem exercendo, unde vel jam defacto sentis
 oriri, vel oriturum prævides motù delectationis
 inhonestæ, tunc applicanda est generalis doctrina
 data *suprà c. 2. de voluntario indirecto* : & valebit
 regula *superius c. 5. num. 19.* insinuata : Nimi-
 rum. Si causa posita vel non ablata licita, aut ve-
 nialiter tantum mala sit, & absit periculum con-
 sensus pleni atque directi, etiam motus illicitus
 aut venialiter tantum mali erunt. Aut ergo, 1.
 exerces talem actionem ob causam honestam ne-
 cessariam, vel utilem, ut studendo, confessiones
 audiendo, medendo, naturam sublevando, &c.
 tunc motus illi, excluso consensu directo, culpa
 vacabunt. Aut 2. exerces talem actionem ex cu-
 riositate, levitate, joco, & iterum absit periculum
 consensus, motus illi venialem culpam non exco-
 dent : ut etiam docet *Sanchez l. 9. de Matrim.
 disp. 46. 3.* Nisi actiones illæ secundum se & ex
 objecto essent valde turpes, & ad libidinem pro-
 vocantes, seu notabiliter influentes in commoti-
 onem veneream ; tunc enim sine justa causa ex-
 ercere seu non desistere, mortale est, secundum
 Omnes. 4. Si advertis, adesse periculum proximi-
 tatem consentiendi in ipsum motum vel opus
 turpe,

corpore, & nihilominus pergis, vel non abrumpis
rationem, censeris interpretativè omninò con-
sentire in peccatum, & peccare mortaliter, secun-
dum Omnes.

§. IV.

Motus deliberati permixti, an mortales?

Motus deliberati purè permixti dicuntur, 14
quando voluntas, exurgente ejusmodi mo-
tu v.g. libidinis, odii, vindictæ, post sufficien-
tem advertentiam, & deliberationem rationis su-
perioris absque omni actu contrario positivo eti-
am simplicis displicentiæ, merè negativè se ha-
bendo permittit v.g. partem inferiorem delectari
pectus odiò, & vindictâ fervere, &c.

Dico I. Hi motus deliberati purè permixti,
practicè loquendo, omninò sunt peccata morta-
lia: nisi voluntas saltem eliciat nolletatem seu
simplicem displicentiã, aversionem, vel impro-
bationem. Ita fatetur Sanchez l. 5. Moral. c.
2. n. 13. ante medium, & docent Doctores ab eo
citati, Layman. l. 1. Tract. 3. cap. 6. Ratio est.
Quia voluntas, si nullum omninò eliciat actum
contrarium motui circa objectum malè, delibe-
ratè, & perfectè propositum, ac valde afficiens
etque inclinans ad consensum illicitum, moraliter
semper erit exposita proximo periculo consen-
sus; & contrarium credere, nimia sui confiden-
tia, & præsumptio esset; ut proinde, Deo ita in
superbiæ poenam permittente certior lapsus ti-
meri debeat. Ergo ad evadendum morale peri-
culum.

culum peccati mortalis, atq; ad eò ipsum peccatum mortale, ad minimum requiritur in voluntate, actus contrarius nolletatis, sive simplicis displicentiæ vel aversionis à tali motu. Qui nimirum actus licet inefficax sit ad reprimendum, vel repellendum ipsum motum illicitum, est tamen efficax satis ad cohibendum, vel impediendum liberum voluntatis consensum, quippe cui directè opponitur.

15 II. Habito tali actu contrario nolletatis, seu displicentiæ simplicis, voluntas non tenetur sub mortali positivè resistere, cohibere, reprimere dictos motus illicitos; sed potes confisus de constantia voluntatis tuæ, jã actualiter ab ipsis aversæ, ejusmodi motus permittere ac omninò contemnere, tanquam insufficientes ad inclinandam voluntatem in consensum (dummodò semper absit periculum pollutionis) & hoc sensu *Layman* supra allegatus rectè approbat sententiam communiorum Doctorum. *Cajetani, Toleti, Navar. & aliorum, præsertim Recentiorum cum Dianæ p. 1. tr. 7. resol. 33. Tamburin. l. 10. c. 2.* Nimirum: absolutè voluntatem non teneri sub mortali resistere ejusmodi motibus. Certè hoc solum, sed bene, probant eorum rationes, quarum potissima est: Quia hujusmodi motus à natura proveniunt, ita ut omnes cohibere impossibile, aliquos difficillimum sit: imò sæpè tales motus positivà resistantiã magis exasperantur, uti experiuntur tentati motibus blasphemix, odii, luxuriæ, &c. Non igitur credendum est de divina bonitate, salutem

atem æternam hominis his tam lubricis periculis
exposuisse, ut sub jactura salutis ejusmodi mo-
tus, à natura in malum proclivi tam facile exur-
gentes teneatur, non tantum non admittere, sed
etiam positivè cohibere.


III. Adhuc tamen ejusmodi motus, cum facile
possis, non reprimere resistentiâ positivâ, sine
aliqua causa, peccatum veniale est, ut omnes fa-
tentur. *Ratio est*: Quia omnis mali objecti in-
ordinatus appetitus deordinatio aliqua est contra
rectâ rationem, secundum quam voluntas tenetur
appetitum sensitivum gubernare: non tamen po-
test censeri gravis deordinatio vel culpa, quando
preter voluntatem ex naturæ infirmitate oriuntur
& permittuntur, periculo consensûs per actum
contrarium nollicitatis jam excluso, uti supposui-
mus.

IV. Omni autem culpâ vacabunt motus isti ita
permitti, quando adest justa causa permittendi,
non reprimendi, aut non desistendi ab actione
insultante; ut paulò antè de motibus indirectè vo-
luntariis notavimus, eadem enim ratio. Idque
maximè verum est, si timeas, ne, dum conaris
positivè reprimere, crescat tentatio. Imò sem-
per in talibus tentationibus consultissimum reme-
dium est, animum & cognitionem statim avelle-
re, & divertere ad alia objecta non mala, præfer-
re quæ te maximè afficiant: quod ipsum e-
rit indirectè resistere positivè, san-
ctum & laudabile.

Applic.

Applicatio.

17 **E**Cce ut hæc rectè capias, sic applica. Voluntas circa motum venereum v. g. ratione jam plenè advertente, & proponente ejus malitiam, quadrupliciter se habere potest. I. Sic, ut refugiat, & positivè resistat, reprimere, repellere, aut mentem alio divertere conetur. Et hoc statum, etsi motus totis horis duret, tantum abest, quod homo peccet, quin præclare mereatur. II. Habitata quidem displicentiâ simplici ac noleitate talis motus, atque ita consensum negando, ejusque periculum excludendo, attamen vel non, vel remissè nimis, & negligenter resistendo, cum tamen facile posset, & nulla justa causa permittendi tales inordinatos motus subsit, & tunc saltè peccabit venialiter, ut dixi *suprà num. 15*. III. Merè negativè se habendo, & permissivè; seu suspendendo actum contrarium, permittendo motum impuræ delectationis; & jam peccabit mortaliter ob periculum, ut dictum *num. 14*. IV. Sic, ut ipsa plenè, & positivè consentiat, acquiescat, eaq; delectatione frui velit: & tunc certò erit peccatum internum consummatum, mortale in proposito, aliàs pro ratione materiæ mortale, vel veniale. Cæterum si hic sistatur, erit delectatio mortuosa, de qua *infra*. Si verò ulterius inopertendatur, erit propositum vel desiderium, de quo est



SECTIO III.

Proposita, & desideria mala, absoluta, & conditionata.

SUMMARIUM.

- i. Proposita vel desideria absoluta, & efficacia de re quacunque sive intrinsecè, sive extrinsecè mala, semper sunt mala, pro ratione materie;
- ii. Desideria verò seu proposita conditionata (omnesque sollicitates simplices) sub conditione auferente malitiam actus mala non sunt: saltem graviter.
- iii. Conditionata autem de re intrinsecè mala, sub conditione impossibili verius illicita sunt. Ac
- iiii. Certissime illicita sunt desideria conditionata de rebus quibusvis malis, sub conditione nullo modo auferente malitiam actus.

PRÆNOTATIO.

Actus aliqui, quoad substantiam, & ex objecto suo omninò sunt indifferentes ac liciti, alii verò solum mali, & illiciti, quia lege vel jure positivo prohibentur. *Ut comedere carnes die ieiunii, portare arma vetita, venari, piscari in loco prohibito &c.* Alii actus, quoad substantiam, & ex objecto suo, ita sunt mali, & illiciti intrinsecè, ut nulla abstractione, nulla conditione vel circumstantia addita possint esse vel concipi liciti. *Ut iracundia Dei, blasphemia, heresis, adulterium, &c. necnon verbum ipsum peccatum formaliter.* Alii sunt actus intrinsecè quidem, & quoad substantiam mali, & illiciti, ita tamen, ut per oppositam circumstantiam in aliquo statu vel casu possint esse liciti. *Ut actus homicidii, furti, copula carnalis,*

Et liciti, & honesti fiunt, auctoritate publica, dispensatione divina in Matrimonio, &c. His positus pono sequentes quatuor.

RESOLUTIONES.

I. Proposita. Et desideria absoluta rei mala semper mala.

Semper mala & illicita sunt proposita vel desideria absoluta, vel efficacia de re quacunque mala, sive intrinsecè; ut si proponas vel desideres *mœchari, furari, occidere*: sive extrinsecè tantum; ut si die jejunii velis *comedere carnes, vel carnare, &c.* Omnes, Ratio est evidens. Quia actus internus habet suam bonitatem, & malitiam ab actu externo, tanquam suo immediato objecto: atqui propositum vel desiderium absolutum, & efficax tendit in externum ut fiendum circa suum objectum à parte rei, secundum omnem suam malitiam cognitam: neq; potest abstrahere à malitia vel prohibitione ullâ actûs; sicut ipse actus v. g. *occidere, vel comedere carnes*, hic & nunc non posset fieri, nisi malus & prohibitus: ergo illa proposita vel desideria semper sunt mala, & peccata pro ratione materiæ. Unde in eorum Confessione semper aperiendæ sunt omnes circumstantiæ in Confessione ipsorum actuum necessariò explicandæ: V. g. *proposui vel desideravi cognoscere conjugatam, monialem, consanguineam: occidere patrem, fratrem, Clericum, furari rem sacram, tanta quantitate, &c.*

secundum Omnes. Cum etiam illi actus interni efficaces tendant in actum externum, ut finem & terminum, semper totam ejus malitiam participant. (Secus dicemus de actibus inefficacibus, & delectationibus morosis) Idem verò dicendum de gaudio vel delectatione ex re illicita jam patrata, ob eandem rationem. Unde caute legendus *Sa. v. Confessio. num. 16.* dicens: eum, qui delectatus est de peccatis præteritis jam confessis, id solum debere confiteri, non autem exprimere, quæ fuerint peccata, quod in editione Romana deletum fuit. Denique locuti sumus de propositis, & desideriis illicitis efficacibus de præterito, dum res reverà illicita est. Constat enim apud Omnes, non esse per se illicita proposita vel desideria de futuro, quando actus evadet licitus. Ut si die Veneris efficaciter proponas vel desideres comedere carnes die Dominica. Si efficaciter proponas vel desideres ducere, eoque cognoscere uxorem proximi, postquam maritus mortuus fuerit. Neque enim nono præcepto prohiberis concupiscere uxorem proximi, ejusve matrimonium desiderare, pro tempore, quando eris libera à lege viri: sed solum pro hoc tempore, quando, & quatenus uxor proximi est. Qualiter autem liceat desiderare rem materialiter malam, ob necessariam connexionem materiæ, ne idem bis repeti debeat, dicam infra, cum de delectatione morosa.

li 2

II. Con.

II. *Conditione licita.*

19 **L**icita sunt desideria, & proposita conditionata, omnésque volitiones, velleitatis, simplices complacentiæ, &c. sub conditione reverà auferente malitiam actûs propositi per intellectum, etsi re ipsa non subsistente: Idque non tantum in iis, quæ solo jure positivo prohibentur, ut *vellem hodie comedere carnes, nisi esset dies Veneris, nisi prohibitum, nisi peccatum esset, &c.* cum enim comedere carnes (sic de cæteris) sit intrinsecè, & secundum substantiam bonum ac licitum, conditio illa apposita auferit omnem malitiam: Verum etiam de iis, quæ sunt intrinsecè mala, ita tamen, ut in aliquo statu vel casu possint esse licita, & bona; si nimirum desiderentur sub conditione talis statûs vel casûs, conditio enim rursus auferit malitiam actûs propositi, Unde culpâ saltem graviori vacabunt hujusmodi actus: *Vellem prædari, si Deus permitteret: vellem hunc suspendere, hunc inimicum bene ita meritum occidere, si judex essem: ducerem hanc atque cognoscere, nisi antea uxoratus, nisi Sacerdos, Religiosus, voto astrictus essem, &c.* Communis Doctrina Sanchez lib. 1. *Moral. c. 2. n. 24.* Vasq. *disp. 110. c. 2.* Laym. *lib. 1. tract. 3. c. 6. num. 10.* Ratio est: Quia actus isti inefficaces tendunt in actum externum, non ut finem vel terminum sciendum à parte rei, sed præcisè ut in objectum propositum per intellectum, ideòque ab eo non plus malitiam sumunt, quàm proponatur per intellectum: atqui intel-

intellectus proponens objectum sub tali conditione auferente omnem malitiam actus, nullam in actu malitiam proponit, ut patet: ergo nullam inde sumit malitiam ejus desiderium vel volitio conditionata, & inefficax. Unde, quamvis tibi pure naturæ interdicti sint isti actus externi, v. g. Religiose ducere, & cognoscere uxorem: quia tamen non desideras absolute, & efficaciter, sed solum sub conditione, sufficit tibi matrimonium reverè cogitari posse in eo statu, quo tibi interdictum non esset; ut cum *Vasquez* notat *Sanch.* loco citato.

DIXI. *Culpâ saltem gravi vacabunt.* Negari enim non potest, actus ejusmodi, nisi bono aliquo sine vestirentur, ordinariè ut minimum otiosos esse, & venialiter malos. *Sa. V. Peccatum*, merito hæc vocat periculosa: *Cajetanus V. eod. famas*, & diabolicas tentationes. Sanè maximè cavendum in materia luxuriæ, ne quis ejusmodi actibus, quantumvis conditionatis, & inefficacibus, diutius immoretur, & serio complacereat: quia ob sæpè dictam sympathiam potentiarum, facile influerent in commotionem veneream, & inchoatam saltem pollutionem, non sine mortali culpe periculo, & ob ipsum periculum, incurfu. Ulterius optimè monet *Tamb. lib. 10. c. 5. §. 4.* alium hic scopulum cavendum periculosissimum, ne scilicet ejusmodi actus inefficaces, & velleitates procedant ex actuali voluntate absoluta peccaminosa. Tunc enim erunt peccata mortalia, non ex se, sed ex principio, scilicet actuali

malo affectu, à quo imperantur. Hac ratione si-
ne dubio peccares mortaliter, si ex actuali libidi-
noso affectu, seu turpi amore in puellam diceres
Hanc vellem amplecti, si mea uxor esset. Nimi-
rùm, non ex ipso actu conditionato; quem per
appositam conditionem ab omni labe purgalli,
sed ex illo turpi amore, qui illum actum impera-
vit. Idem esset: si ex actuali injusto odio in ini-
micum diceres: hunc occiderem, si iudex essem.

III. Conditionata veriùs illicita.

20 **V**eriùs, & mihi verissimè illicita sunt deside-
ria conditionata, seu velleitates quævis, de
quavis re intrinsecè mala, sub ea ipsa conditione
impossibili, *si non esset mala, si non esset peccatum,*
si non esset offensa Dei, si liceret, &c. Vellem v.
g. Deum odio habere vel destruere, Idolum ado-
rarem, hæreticus fierem, blasphemarem, falsum
jurarem, &c. Item fornicarer, adulterium com-
mitterem, furtum facerem, occiderem hunc.
(Hoc solùm hîc discrimen adverto, quòd in
prioribus, quæ nullo casu licere possunt, nulla alià
subintelligi possit: in posterioribus autem, quæ
aliquo casu licere possunt, possit subintelligi alià
conditio auferens malitiam actûs, ut si dicas: vel-
lem occidere, si non esset peccatum, subintelli-
gens nimirùm, si iudex essem, vel Deus juberet,
&c. tunc recidet in modum præcedentem) Ita
cum aliis Sanchez lib. I. Moral. c. 2. n. 33. Laym.
supra c. 6. Basil. Pontius lib. 10. de Matrim. t.
16. n. 20. Ratio est; quia actus internus sumit
suam

suam malitiam ab objecto proposito per intellectu malo : atqui actus illi intrinsecè mali, seu habentes intrinsecè imbibitam malitiam, non possunt intelligi sine sua malitia intrinsecè imbibita; atque conditio illa appositâ nullo modo aufert malitiam actûs, sed manifestam involvit contradictionem: perinde enim est dicere: *vellem fornicari, si non esset peccatum; ac volo peccatum, si non sit peccatum*: affanniæ! ergo voluntas adhuc actuali suo affectu fertur in rem mortaliter malam consequenter adhuc peccabit mortaliter, ac si conditio nulla appositâ fuisset. Et sanè, quis non naturali crisi abhorreat ut malum actum istum: *Vellem destruere Deum, si liceret, &c.* Deinde ita conditionatè velle nihil aliud est, quàm optare, ut jure naturæ verita liceant, atq; ita ordo naturæ, ipsaque naturæ rerum immutentur; quod sanè pejus est, quàm ipsa fornicatio vel homicidium semel commissa: pejus enim esset hæc licere, quàm semel committi. Unde opinionem *Vasquez*, non esse mortale, si quis desideret, non esse prohibitas fornicationem, mollitiem, ebrietatem, &c. ad bonum finem, v. g. quia expertus se fragilem, & sæpius labi in tale crimen, ne ultrâ Deum offenderet; rectius improbat *Sanchez cit. num. 23. sm.* Quia bonum totius naturæ, ac naturalis ordinis non potest postponi, ejûsque immutatio, quæ gravissimum malum est, desiderari, ob peculiare hujus hominis bonum; maximè, quia hoc potest aliâ viâ consequi, nimirum gratiâ divinâ se contra tentationes muniendo, inquit *Sanchez*

chez allegatus. Advertendum tamen, etiam hoc posse fieri (quod in sequentibus) ut ejusmodi locutione conditionata, aliquando non exprimitur affectus voluntatis actualis in malum per modum optantis; sed solum per modum enuntiantis significetur propensio voluntatis in talem actum prohibitum jure naturæ, atque intrinsecè malum, nisi turpitudine peccati, vel offensâ divina absterret. (Et vide, quàm cautè in hunc secundum modum declinet *Tamburin. lib. 10. c. 5. §. 3. n. 1.* ad finem, qui tamen cum *Vasquez* & aliis contrariam sententiam tuetur) Et tunc constat non esse peccatum; quin potius propensio in peccatum facta motivo reprimatur.

IV. Conditionata certò illicita.

21 **I**llicita sunt sine dubio desideria conditionata, omnèsque volitiones, velleitates, ac complacentiæ simplices, de rebus quibusvis malis, sub tali conditione, quæ nullo modo aufert malitiam actûs, etiamsi à parte rei poneretur, ac poni possit. V. g. *occiderem te, si avolare possem.* Omnes, *Sevchez, Laym. citt.* Ratio est: Quia etiamsi consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura ex parte objecti voliti, in voluntate tamen ponit actuale affectum committendi aliquod peccatum, excepta sola conditione illa, quæ minimè aufert malitiam peccati: ac proinde eadem culpa erit, velle illud peccatum v. g. homicidium cum tali conditione, qualis esset, velle illud absq; conditione absolutè: tunc enim mortalis utique: ergo &

Advertendum autem *semel pro semper*, locutionem illam *vellem fornicari, occidere, &c.* dupliciter sumi posse. I. *Optative*, ut significet actualem affectum voluntatis actu volentis, desiderantis, ac optantis talem actum malum, sub dicta conditione: & hoc peccatum esse dicimus. II. *Enuntiative* tantum, ut solum significet propositionem voluntatis ad talem actum, nisi hæc conditio obstaret: & hoc constat non esse peccatum. Afferamus exempla.

I. *Frangerem jejunium, si carnes vel coenam haberem: vellem inebriari, scortari, moechari, si pecunias, vel occasionem haberem. Adulterium cum hac committerem, nisi pœnam, vel infamiam timerem. Hoc scelus parvarem, si nemo me aspi- ceret. Vellem furari, si scolas, vel instrumenta haberem, &c.* In sensu optativo, & actuali affectu in tale peccatum, liquidò peccata mortalia sunt. Omnes.

II. *Vellem fornicari, occidere, me ulcisci, &c. si Sacerdos vel Religiosus non essem: aut nisi rationem mei status haberem, &c.* Similiter mortalia sunt, si efferantur optative cum actuali affectu in illa peccata, à quibus præcisè ob rationem tui status te cohibes. At si solum proferantur enuntiative, ut sensus sit: ego infirmitatem meam agnos- cens, fateor, nisi ab hoc sancto vel sublimi statu meo reprimeret, me omninò ita peccaturum, &c. nulla suberit culpa. Eadem est ratio, cum aliqui dicere solent: *Si hoc mihi antea fecissem, quando adhuc junior, studiosus, secularis, miles*
li 5 *fui,*

fui, vindictam sumerem, occiderem, in duellum provocarem, &c. Item: *si adhuc essem junior, fornicari cum hac vellem, &c.* siquidem adsit vera voluntas fornicandi, ulciscendi, occidendi, dummodò occasio priori tempore accidisset; aut quis ad eum malum finem verè optet adesse modò adhuc prius tempus, verè lethale est; sicut si optas te non esse Sacerdotem, vel Religiosum, quò fornicari vel occidere posses. At si sensus iterum sit enuntiativus: nimirum priori tempore talis eram, ut accepta tali injuria, omninò vindictam sumerem: oblata tali occasione omninò peccasse m, &c. modò autem nullus adeit voluntatis consensus, neque culpa ulla aderit. Memini simplicissimi atque optimi Seniculi, qui subinde à junioribus irritatus, excussis lachrimis, manum in pugnum contractam ostentans dicere solebat vernaculè in hunc sensum: *O tu! gratias age Deo, quò datus sim, qualis antea eram: quam vellem tibi malle dare unum retundum par alaparum!* Credo ipsum, ultra motum fortè venialem iræ, præterea in quinto præcepto nihil deliquisse, & solum enuntiativè locutum.

III. *Vellem peccare, furari, carnes comedere &c. nisi timerem DEam:* optativo sensu, cum actuali affectu peccandi, nisi servilis Dei timor absterreret, lethale est: at sensu indicativo, significare suam tantum infirmitatem, & propensionem in peccatum, utpote, *credo me omninò peccaturum,* nisi timor DEI refrænaret, malum non est: resolvitur enim in hanc causalem: *Quia Deum timeo,*

meo, nolo peccare, aliàs fortè peccaturus. Et
 siquidem sit timor filialis ex motivo charitatis, &
 metu offensæ Dei, super omnia amati, summè me-
 morius erit: si ser vilis tantùm ex metu pœnæ, sal-
 tem non malus. Atque eadem prorsus ratione,
 dicere: *Peccarem nunc mortaliter, si infernus non*
esset, &c. optativè, volendo peccatum, & quasi
 optando infernùm non esse, ut liberiùs peccare
 possis; mortale est sine dubitatione: quia conditio
 appposita nullo modo aufert malitiam actûs. At
 enuntiativè tantùm ostendere pronitatem in pec-
 catum, nisi metus pœnæ coereret: ut sensus ite-
 rum sit: Nolo peccare, quia infernus est; alioquin
 facitè peccaturus, nec tentationem præsentem
 superaturus, &c. culpâ vacat. Rectè enim Ca-
 thopalaus apud Tambur. *cit. c. 5. §. 5. n. 5.* dicit:
Nunquam est peccatum velle relinquere peccatum
ob timorem inferni, vel ob amissionem honoris. Ob
quæcumque enim finem peccatum relinquatur,
peccatum non est. Quin communi doctrina Ca-
 tholicorum, attritio ad Sacramentum pœnitentiæ
 sufficiens, utique non mala, fundatur in ejusmo-
 di timore. Vide etiam dicta de metu *supra c. 2.*
num. 50.

IV. *Si Deus vellet Petrum mori, gauderem,*
&c. Si significes affectum antecedentem ad di-
 vinam voluntatem, quia scilicet velles, ut DEUS
 vellet Petrum mori; idem erit, ac optare ipsam
 mortem Petri, ideóque, si injustè, peccatum mor-
 tale. At verò, si significes affectum solum con-
 sequentem ad voluntatem divinam: quod nimi-
 rum

rùm postquam DEUS voluisset Petrum mori, cum gaudio velle, voluntatem tuam conformare cum divina, de se actus optimus est secluso omni maligno affectu in Petrum, vel complacentiâ de malo ipsius: quod securum est, si persona chara sit suspectum valde, si persona sit aliâs exosa. Vide Sanchez l. I. Moral. c. 2. n. 29.

SECTIO IV.

Delectatio morosa, rationalis, sensibilis, &c.

SUMMARIUM.

22. Delectatio morosa quia sit rationalis: sensibilis: & qualis in ea ordinariè sit processus.
23. Omnis delectatio morosa, rationalis, & sensibilis adfuit peccatum.
24. Pro ratione materia tamen: mortale, vel veniale?
25. Si sit de ipsa re, cogita formaliter (sive intrinsicè, sive extrinsicè) mala.
26. Et voluntaria.

PRÆNOTATIO.

22 **D**electatio morosa definiiri solet: *Simplex complacentia voluntaria de re illicita, sine intentione eam opere implendi, ideòque sic dicta: non à mora temporis, cum etiam fieri possit in instanti, sed à mora ac immoratione consensus, quòd nimirum voluntas libero consensu in solo motu delectationis circa opus cogitatum immoretur, & acquiescat, absque intentione ulterius tendendi in opus ipsum. Duplex est, rationalis, & sensibilis.*

II. Delectatio morosa rationalis, potius gaudium,

vel complacentia dicenda est, quæ exurgit
 ipsa voluntate ex cogitatione intellectiva rei il-
 licite: & potest esse aut speculativa, de ipsa cogi-
 tatione vel cognitione mali actûs, vel modi mira-
 bili: ut si videns amicum ridiculè cadentem ex
 alto rideas, non lapsum, quem doles, sed solùm
 modum vel ridiculum cadendi modum: aut pra-
 ctica, & de ipsa re vel actione illicita cogitata, ita
 quod objectum formale, & ratio delectandi sit ipsa
 res, vel actio mala cogitata, cogitatio verò, seu
 cognitio sit solùm conditio applicans objectum
 delectationis. Item potest esse, aut absoluta de
 cogitata, aut sub conditione aliqua. De singu-
 lis determinabimus postea.

III. Delectatio morosa *sensibilis*, & propriè
 delectatio dicenda est, quæ ex imaginatione phan-
 tastica rei vel actionis illicitæ delectabilis exurgit
 ex appetitu sensitivo, seu sensualitate; fitque cum
 aliqua alteratione, vel immutatione corporis, per
 motum spirituum vitalium circa pectus, & in ve-
 teribus, per motum spirituum generationi servien-
 tum in parte inferiori. Quamvis autem delecta-
 tionem rationalem, & sensibilem de eadem re
 distinguere sit difficillimum: propter naturalem
 eorum connexionem, & sympathiam voluntatis
 cum appetitu sensitivo, exurgente delectatione in
 una potentia, statim movetur, & excitatur etiam
 delectatio in altera: re ipsa tamen distingui certissi-
 mum est; & sufficit posse distinguere in ratione
 voluntarii. Constat enim, sæpè delectante appe-
 titu, non delectari, sed tristari voluntatem secun-
 dum

dum portionem superiorem, & de multis delectari voluntatem, de quibus non delectatur, sed abhorret appetitus. Huc revoca dicta superius de primis motibus.

IV In delectatione ergo morosa hinc ferè processus esse solet. 1. Voluntas vult, vel permittit intellectum cogitare de re illicita, v. g. copula. 2. De copula sic cogitata complacet vel gaudet: & hinc est delectatio morosa rationalis. 3. Voluntas etiam vult, vel permittit phantasiam imaginari illam rem, & per species sensibiles veluti presentem facere, ex quo naturaliter sequitur motus in appetitu sensitivo, modò suprà prænotatò. 4. Voluntas etiam vult, consentit, vel permittit appetitum sensitivum ita delectari, eamque delectationem acceptat, approbat, complacet: & hæc est delectatio morosa sensibilis, cui ad verbum applicare debes omnia suprà generatim explicata de motibus deliberatis admissis, & permissis.

ASSERTIO II.

Omnis delectatio morosa, rationalis, sensibilis, voluntaria ac absoluta de re cogitata formaliter mala, est peccatum pro ratione materia mortale, vel veniale. Communissima doctrina in his terminis. S. Thomas 1. 2. q. 47. art. 8. Navarr. c. 11. n. 13. Lessius l. 4. de Justitia c. 3. dub. 15. Sanchez l. 1. Moral. c. 2. Layman. Tractat. 3. c. 6. Marchant. Tribun. pag. 1. tract. 3. tit. 2. q. 6. concl. 4. Regula 2. Dianap. 1. Tract. 17. resol. 33. alii apud ipsos.

§. I.

Est Peccatum, &c.

Robatur I. Ex S. Scriptura, & Patribus Matth. 23

5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum*
eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Galat.

Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt forni-
catio, immunditia, impudicitia, &c. Certum

autem est, delectationem morosam veneream esse
 immunditiam vel impudicitiam cordis: ergo est

inter illa peccata, de quibus ibidem dicitur: *Qui*
hæc agunt, regnum DEI non possidebunt. Et do-

cent perspicuè Sancti Patres. D. Isidorus l. I. de
 summo bono c. 39. D. Gregorius l. 21. Moral.

l. 3. D. Augustinus l. 12. de Trinit. c. 12. dicens:

Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine volun-
tate operandi, sed tamen cum voluntate animus

libus oblectandi, peccata per Mediatoris gra-
tiam remittantur. Accedit Ratio. II. Omnis

actus humanus accipit bonitatem, & malitiam
 suam per se primò à suo immediato objecto, ut

mirum sit ejusdem bonitatis, & malitiæ, cujus
 est objectum: atqui delectatio morosa voluntaria

est verus actus humanus, cujus objectum est res
 vel operatio formaliter mala: ergo omnis ejus-

modi morosa delectatio ejusdem malitiæ pecca-

tum est. Quippe ejusdem bonitatis, & malitiæ
 sunt operatio, & ejus delectatio, inquit Philoso-

phus 10. *Ethic. c. 3. ad finem.* III. Delectatio
 est quædam appetitûs inclinatio in objectum: at-

qui rectæ rationi repugnat, appetitum rationalem
 esse

esse deliberatè ac voluntariè inclinatum in ob-
 jectum formaliter malum, inhonestum, turpe.
 Voluntati enim malum mortale à rectaratione di-
 scordans displicere, saltem non per morosas dele-
 ctationes placere vel approbari debet: ergo. IV.
 Voluntariè, & deliberatè delectari de peccato car-
 nali cogitato est peccatum mortale, *secundum*
omnes: atqui eadem omninò est ratio de quacun-
 que re illicita mortaliter: ut hæresi, perjurio, blas-
 phemia, homicidio, furto, &c. Habet ergo
 delectatio morosa peccaminosa locum, in omni-
 bus præceptis Decalogi: & quâ ratione ipsa pec-
 cata externa erunt mortalia & venialia, etiam de-
 lectatio de iisdem morosa mortalis vel venialis
 erit. Quòd autem Doctores communiter doctri-
 nam suam potiùs applicent delectationi venerea,
 quàm aliorum peccatorum, ideò est; quòd ea de-
 lectatio frequentissima, & notissima sit: adde e-
 tiam importunissima, & foedissima, ob turpem
 carnis motum: &c. Videre tamen potes, *curiose*
Lector, sententiam *Vasquez* 1. 2. disp. 111. 100
cap. 3. & 4. docentis: delectationem morosam su-
 mere malitiam peccati non ab objecto, sed solùm
 ab oppositione ad aliquam virtutem. Ideòque
 delectatio venerea morosa peccatum sanè mortale
 erit, quia naturâ suâ opponitur castitatis virtuti:
 at verò delectatio morosa de homicidio vel furto
 cogitato mortale non erit, nisi quatenus jungitur
 cum odio seu malevolentia in proximum, contra
 virtutem Charitatis. In quam sententiam, fateor,
 valde propendo: sed in re tam practica non debui
 reced.

recedere à communissima & receptissima Doctore
sententia; cum neque recedere voluerit do-
ctissimus ille Sanchez l. 1. moral. c. 2. n. 9.

§. II.

Prorogatione materiae &c.

Semper ergo delectatio morosa est peccatum 24
eiusdem speciei cum peccato cogitato. Unde
in Confessione semper explicandum est objectum
cogitatum, de quo quis delectatus fuit, quoad
speciem, & numerum. Sed nunquid etiam quoad
circumstantias? Multi affirmant absolute. Absolu-
te vero negant Vasq. citat. disp. 111. ex suo supra
indicato fundamento, & ex eo Tansbur. lib. 10. in
Dicol. cap. 3. n. 3. Sed rectius ex communi & re-
cepta doctrina apud Azorinum l. 4. c. 6. n. 3. San-
chez cit. l. 1. c. 2. num. 11. ita distinguendum est.
Quando delectatio morosa fertur in objectum se-
cundum totam ejus malitiam, ita ut ipsae etiam
circumstantiae directe volitae & intentae sint, utiq;
necessario explicandae in Confessione erunt cir-
cumstantiae objecti, quamquam non tanquam cir-
cumstantia, sed tanquam objectum parziale, uti
superiori cap. 3. num. 20. explicui. Ut si delecta-
tio sit in cogitato parricidio, vel fratricidio; in co-
gnata copula cum conjugata, consanguinea, sacra
&c. quatenus tales sunt; teneberis sane eas cir-
cumstantias explicare. Quia tunc delectatio ple-
nam, & integram operis externi malitiam & spe-
ciem sortitur, ac proinde sicut in ipso opere exter-
no, ita etiam in ejus morosa delectatione eae cir-
cumstantiae fatendae sunt. At vero quando dele-
ctatio

Etatio morosa fertur in objectum, non secundum
 totam suam malitiam, sed secundum partem tan-
 tum: ita v. g. ut substantia tantum, non autem
 circumstantia voluta vel intenta sit, licet cognita,
 indirectè etiam voluta censei possit, ut si delecteris
 de cogitata copula cum foemina apprehensa præ-
 cisè ut non tua, minimè autem, ut alteri nupta,
 consanguinea, vel sacra est, sed præcisè, ut formo-
 sa & amabilis foemina: tunc quia non sortitur to-
 tam operis externi malitiam, sed ad speciem sim-
 plicis fornicationis vel impudicitiae reducitur, cir-
 cumstantias illas explicare necessum non est. *A-
 zor. Sanct. Filii. Less. Bonacin. Diana, alii cum
 Lugo disp. 16. de pœnit. num. 363.* Alia ratio fuit
 supra de proposito, desiderio, seu volitione effica-
 ci: quia enim hi actus efficaces tendunt in opus
 externum, ut fiendum à parte rei, tanquam in fi-
 nem & terminum, ideòque necessariò secundum
 totam in ejus malitiam, semper ejusdem speciei
 cum illo: delectatio autem morosa, cum non fe-
 ratur in opus externum ut finem & terminum, sed
 præcisè ut objectum cogitationis præsentis, ideò
 non necessariò integram, sed solum tantam ejus
 malitiam participat, quantam voluntas vult, vel
 intendit. Cæterum apud omnes in confessio-
 ne delectationis morosæ debere explicare cir-
 cumstantiam voti vel statûs sui: quia non solum
 contra castitatem, sed verè etiam contra vorum &
 virtutem Religionis deliquit. Sed nunquid etiam
 ligatus, si delectetur de aliena, tenebitur se fateri li-
 gatum?

gatum? Affirmat *Vasquez supra*. Ex eo, quòd fides matrimonii obliget non solum corpus, sed etiam mentem in aliud objectum turpe non collocare. Negat verò verosimilius, & hoc fundamentum insufficientis iudicat *Hurtadus apud Tambur. lib. 10. c. 7. num. 6*. Certè sine urgente causa non est gra- vandum Sacramentum tam necessarium.

§. III.

De re mala, &c.

EAdem omninò est ratio, siue sit de re mala in-25
trinsècè, & lege naturæ vetita, siue sit de re
mala non intrinsècè, sed lege positiva tantum pro-
hibita: dummodò sit de re formaliter mala, seu
ut vetita vel prohibita est. Ut si die Veneris dele-
cteris de cogitata comestione carnis contra le-
gem, vel in odium legis Ecclesiasticæ. Hoc tamen
grande discrimen est; quòd quando res est intrin-
sècè mala & lege naturæ prohibita, ut *fornicatio,*
homicidium &c. tunc delectari etiam de substan-
tia actûs secundùm se, erit illicitum, & peccatum.
Cum enim malitia per se, & ab intrinsèco illi a-
ctûi insit, non stat delectari de substantia, & non de
malitia, nisi per aliquam conditionem possibilem
malitia separetur, ut in desideriis conditionatis
explicatum est *suprà num. 19.* & in delectatione
rationali explicabitur *infra n. 37.* At verò quando
res est solum mala intrinsècè, quia lege positiva
vetita, ut *comestio carnis, vel cæna in die jejunii,*
quia substantia actûs secundùm se bona & licita
est, licita quòque erit delectatio seu rationalis, seu
sensibilis de substantia talis actûs, præcisa per in-
telligi-

Kk 2

tella-

tellectum prohibitione legis. Quia appetitus rationalis malitiam excludit: appetitus autem sensitivus malitiam seu prohibitionem minime attingit, sed in solam tendit comestionem externam secundum se bonam. Alia est ratio, si delecteris de peccato omissionis contra legem positivam, v.g. de omissione Sacri, vel Horarum: in his enim nulla est substantia actus, de qua præcisa malitia contra legem, delectari posses. Posses tamen delectari de omissione Sacri, abstrahendo à Dominico vel Festo die, de omissione Horarum inculpabiliter facta, quantum ad carentiam illius laboris, eo casu omni malitia separatam, uti resolvit *Tambur. l. 10. c. c. §. 1. num. 2.* quem consulte. Et ratio est eadem, quæ infra dabitur de delectatione morosa circa rem materialiter malam, sub ratione bona.

§. IV.

Voluntaria absolutè.

26 **A**stertio denique signatè ita expressit. 1. Delectatio voluntaria, nimirum cum consensu expresso, vel interpretivo, aut permissivo, modo explicato supra de motibus *admissis, & permissis.* 2. Delectatio absoluta. 3. De re cogitata. 4. De re formaliter mala. Nunc de delectatione speculativa circa cogitationem: circa rem materialiter tantum malam: aut de re formaliter mala sub conditione: item in ordine ad diversos status, specialia dicenda sunt distinctis Paragraphis & Regulis.

SUBSECTIO I.

Delectatio speculativa de ipsa cogitatione rei mala.

SUMMARIUM.

1. Delectatio morosa speculativa de ipsa rei illicita cogitatione vel cognitione;
2. Vel ejus modo, inventione, aut artificio &c
3. Per se loquendo mala non est; secluso periculo labendi in aliam delectationem, vel consensum mortalem.
4. In Dubio autem, an delectatio sit speculativa, an vero practica de ipsa re mala cogitata, judicandum est ex cogitantis affectu, ad solam cogitationem, vel ipsam rem magis propenso

Regula.

Delectatio morosa speculativa tantum, de ipsa cogitatione, cognitione, speculatione rei illicita, aut de re rei illicita modo, inventione, artificio, aut objectu formale, & ratio delectandi minime est ipsa res illicita, sed solum rei illicita cogitatio vel modus, per se mala non est, secluso periculo labendi in aliam delectationem, vel consensum mortalem. Communis cum S. Thom. supra cit. Explico.

§. 1.

Mala non est delectatio vel gaudium de ipsa cogitatione, cognitione, speculatione rei illicita.

Ut si legens, studens, Confessiones excipiens intelligas varias peccatorum species, modos, & artificiosos, gaudeas, & oblecteris, non de peccatis, sed de peccatorum cogitatione, vel cognitione acquisita. Ratio est. Quia talis est delectatio, quale est objectum: sed objectum hu-

ius delectationis, nimirum ipsa cogitatio vel cogitatio rei malæ, per se minimè mala est; quia intellectus naturaliter fertur in objectum suum ut verum, quòd æquè reperitur in rebus bonis, & malis; nec minus intellectui bonum est verum seu veritas de malis, ac de bonis rebus: ergo &c.

§. II.

*Aut de rei illicita modo, inventione
artificio &c.*

28 **U**T si legens libros, spectans comediant, duellum, pugnam injustam, contemplansque miros & artificiosos modos ac inventiones furandi, hominem occidendi, foeminam decipiendi, sponsam rapiendi &c. oblecteris, non de ipsis rebus malis factis, vel faciendis, sed solum de modo vel inventione curiosa, subtili, artificiosa &c. *Ratio iterum est.* Quia tunc voluntas non delectatur de malo, ut malum est: sed de aliqua ratione boni in malo seu peccato inventa & considerata, utpote curiosa subtili inventione, dexteritate, fortitudine, quæ æquè reperiri & oblectare possunt in rebus bonis ac licitis. Quin fieri potest, quòd cogitatio vel modus delectet, et si ipsa maximè displiceat. Ita enim, cum audimus narrari furta, fraudes, insidias, mirabili dexteritate patrata, ridere solemus, & delectatione affici: non quòd de malo gaudeamus, sed quòd curiosa naturaliter delectent. Sic spectans duellum, vel aliam rem malam, potes delectari, & ridere, quòd subtiliter & ingeniosè aliquid agatur, etiamsi factum ipsum maximè detesteris.

§. III.

§. III.

Per se mala non est.

EX se enim omninò indifferens est ejusmodi²⁹
 Speculativa delectatio, potens esse bona vel
 mala. 1. Bona ac optima erit, si ita delecteris ob
 finem bonum, puta in ordine ad docendum, Con-
 fessiones excipiendum, ad tibi vel proximo ma-
 lum cavendum. 2. Mala venialiter erit, si sit otio-
 sa, curiosa, levis, ad nullum bonum finem directa.
 3. Mala mortaliter erit, si ita delecteris, aut ad fi-
 nem mortaliter malum v. g. ut peccatum imite-
 ris; aut si adsit *periculum labendi in aliam delecta-
 tionem, vel consensum mortalem*, quod maximè
 timendum in re venerea. Unde 4. voluntaria talis
 speculativa delectatio in imaginatione de rebus
 turpibus & obscœnis, (seculo omni bono fine,
 qui mentem alio diverteret) practicè loquendo,
 semper peccatum mortale est. Uti rectissimè ad-
 vertit *Tambur. l. 10. c. 1. n. 8.* Ratio est. Quia de-
 lectatio de imaginatione rerum turpium, practi-
 cè & moraliter loquendo, nunquam sistit in sola
 imaginatione, sed ex se, propter sympathiam &
 connexionem potentiarum naturaliter concitat
 motus inordinatos appetitûs sensitivi, atque ipsam
 commotionem libidinosam spirituum genitali-
 um. Quid enim magis commovet hominem ad
 turpia, quam ipsa turpia seriò imaginari? Cùm er-
 go eam commotionem libidinosam nunquam li-
 ceat procurare, nunquam etiam licebit talia turpia
 imaginari, etiam cum sola speculativa delectatio-
 ne imaginationis: idque non solum positivè vo-

lendo, sed etiam negativè permittendo, eadem omninò ratione, quã supra dictum de motibus malis *permisissis*.

§. IV.

Quid sentiendum in dubio?

30 **I**N dubio autem, utrùm delectatio reverà sit speculativa de sola cogitatione, an verò practica de ipsa re mala cogitata, dijudicandum erit ex cogitantis affectu, juxta has duas Regulas. I. Si delectatio oriatur ex affectu ad ipsam cogitationem, eò quòd cogitans nihil ad res cogitatas afficiatur, sed solum ad speculationes illas & inventiones, signum est, delectationem esse de ipsa cogitatione tantum. Hujus autem iterum duplex indicium est: unum ex habitu; si nimirum cogitans ejuscemodi speculationes vel inventiones æquè libenter, vel libentius mente agitet in rebus bonis, ac in malis: alterum ex fine & occasione talis delectationis. Si enim cogites de rebus illicitis occasione licita, vel ad finem bonum, v. g. ad concionandum, docendum, scribendum, disputandum &c. & veram doctrinam affectus delecteris, vel gaudeas, in dubio certò præsume, te delectatum de ipsa cogitatione inculpate. II. Si verò delectatio oriatur ex affectu ad ipsas res cogitatas, eò quòd cogitans potius afficiatur ad ipsas res malas, v. g. luxuriam, vindictam &c. quam ad earum speculationes, vel inventiones, signum evidens erit delectationem capi de ipsa re cogitata. Hujus porrò, ex opposito, iterum duplex est indicium. Unum ex habitu; si cogitans ejuscemodi specu-

speculationes vel inventiones libentius ruminet in rebus malis, quam in bonis; alterum ex occasione ipsius delectationis: si enim ex occasione mala, v. g. aspectu turpi, vindictæ cupiditate &c. ortum habuit, signum est, esse de ipsa re mala cogitata. Alteram Regulam certissimam tradit Sanchez. citat. l. 1. o. 2. n. 7. Si nimirum cogitans reflectat vel non reflectat, sive cogitet se cogitare.

SUBSECTIO II.

Delectatio de re materialiter tantum mala, ejusve desiderium.

SUMMARIUM.

1. Illicitum est delectari de re mortaliter mala secundum se.
2. Non item sub aliqua ratione boni
3. Desiderare, verò rem materialiter malam semper illicitum est.
4. Excepta pollutione merè & purè naturali.

Regula.


Illicitum est delectari de re materialiter mala secundum se, non item sub aliqua boni ratione: desiderare verò semper illicitum est, excepta tamen pollutione merè naturali. Sic Doctores citandi.

§. I.

Illicitum est delectari de re materialiter mala secundum se:

Utpote de pollutione, fornicatione adultério, homicidio, blasphemia, perjurio &c. factis inculpate in somno, ebrietate, amentia, ex ignorantia vel errore invincibili. Ut si cognovisses foeminam, invincibiliter putans esse tuam:

aut occidisses hominem inculpabili errore, credens esse feram. *Comunis & certa doctrina apud Sanchez lib. 1. c. 2. n. 16.* Ratio & Regula generalis ab *Azorio, & Sanchez* eodem ibid. recte assignata, hæc est: Quoties causa excusans à peccato factum exterius non etiam reperitur in ipsa delectatione (vel desiderio) tunc licet factum à culpa sit liberum, non tamen erit libera à culpa eius delectatio (vel desiderium): Atqui facta illa enumerata, & similia de se, & naturâ suâ intrinsicâ mortalia sunt, & ex solo defectu rationis, ac voluntarii, vel ob ignorantiam invincibilem, excusantur à culpa mortali; ipsa verò delectatio de se voluntariè suscepta caret omni ejusmodi causa excusante, sed plena rationis libertate tendit in illa objecta simpliciter mala: ergo delectatio mortalis de re materialiter mala secundum se semper illicita est, & peccatum, quale esset ipsum peccatum, si voluntariè fieret, mortale, vel veniale. Dictum ergo illud jam sæpius repetitum: *Talis est delectatio, qualis est actus ipse; semper imbitam habet hanc conditionem: Quando causa à culpa actum liberans reperitur etiam in delectatione.* Sic licitè delectaris de furto facto in extrema necessitate: de homicidio facto ob necessariam defensionem &c. quia eadem libertas est in facto, & delectatione, & causa liberans factum à culpa etiam currit in delectatione.



§. II.

Non item sub aliqua ratione boni.

Præmissis hæc potest esse Regula generalis: Li. 32

Licitum est gaudere de re materialiter mala re-
plicative, quatenus nimirum cum tali causa excu-
sante facta, tantum materialiter mala est, & non
sine causa excusante, puta in vigilia cum usu ra-
tionis ac voluntatis, etiam formaliter mala est. Ut
in vigiliis, compertâ pollutione exultes, quod
in somno facta sit inculpate, & non in vigilia: quia
vigilans naturæ motæ fortè cessisses, & peccasses.
Hoc enim perinde est, ac delectari & gaudere,
quod eo facto non peccaveris, quo nihil sanctius:
prout etiam c. 1. n. 20. incidenter notatum ha-
bes. Simili ratione à culpa immunis eris, si ita con-
ditionate optares: si pollui debeam, vel expediat,
utinam in somnis, vel me in scio eveniret &c. de
quo neminem dubitare credo. Deinde consenti-
unt Doctores, licitum esse gaudere de ejusmodi
re materialiter mala, quatenus causa *fuit* alicujus
boni effectus secuti, seu potius de ipso effectu se-
cuto bono. Ut: quod ex pollutione involuntaria
relevarit tentatio, vel infirmitas: quod ex perjurio
inculpate ex ignorantia facta homo liberatus sit:
quod ex homicidio inculpabiliter facta hæreditas
tibi vel alteri obvenit &c. Talis enim delecta-
tio, vel gaudium nullo modo tendit in objectum,
ut malum est, sed potius in ipsum effectum bo-
num secutum, ut patet ex communi Vasquez 1. 2.
disp. 115. c. 3. Sanchez cit. l. 1. c. 2. n. 18. Less.
l. 4. c. 3. n. 140. Bonacin. de Matrim. disp. 4.
q. 8.

g. 8. num. 8. Lugo de Pœnit. disp. 16. num. 389.
 Si autem gaudium, vel affectus animi tenderet in
 ipsam rem, utique non liceret. Unde merito
 damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio
 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio patris
 si se in ebrietate patrato propter ingentes divi-
 tias inde ex hereditate consecutus.* Utique non in
 hoc sensu, si de morte ejus quidē doleat, & solum
 gaudeat de hæreditate, vel quòd sic dolenter facta,
 fuerit potiùs causa ejus, quàm non causa. Unde
 notanter dixi: quatenus causa fuit; nam ut sit cau-
 sa talis effectus absolute optare non licet, juxta
 propositionem. 14. immediatè præcedentem ab
 eodem Innoc. damnatam: *Licitum est absolute
 desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut
 malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimi-
 rum ei obvoluta est pinguis hereditas.* Dubium
 hic incidens qualiter peccetur jactando se, vel
 gloriando de peccatis, rejicio in finem capituli.

§. III.

Desiderare verò semper illicitum est.

33. ¶ Imirum desiderare rem materialiter tantum
 malam, ut fornicationem, homicidium fieri-
 dum in somno, ebrietate, ignorantia invincibili
 &c. peccatum mortale est ejusdem speciei cum
 actu desiderato. *Ratio est.* Quia desiderium illud
 deliberatè ac voluntariè tendit in objectum naturà
 suà simpliciter malum ac peccatum mortale, &
 quòd formaliter non sit tale, ex sola indelibera-
 tione & involuntario excusandum; adeò ut cau-
 sa excusans peccatum minimè reperiat in ipso
 desi.

desiderio. Quia ergo ejusmodi desideria verè for-
maliter & intrinsecè mala sunt, nullo etiam sine
bono cohonestari poterunt. Quis enim dicat li-
cite, ad finem aliquem bonum, optare & velle
homicidium vel adulterium committere in ebrie-
tate; & si hoc, cur non etiam alium ebrium vel
mentem ad idem committendum instigare? cur
non licebit virgini optare sibi vim inferri ab ebrio
ad bonum finem consequendi ejusdem utile con-
sequum? Quæ tamen omnium sensu absurda sunt.
Etiam ex imaginaria suppositione, si talia solum
materialiter mala fierent, licitè desiderari eorum
bonum effectum aliquem, ut, in casu dicto, utile
matrimonium, ex homicidio inculpate patrato
hereditatem, &c. dubium non est. Quia deside-
rium est de re licita, & conditio intellectu tantum
supposita mala non est: imò ponatur esse mala
formaliter, attamen, quia solum supponitur, &
minimè intenditur, nullò modò inficiet deside-
rium rei non malæ.

§. IV.

Excepta tamen pollutione merè naturali.

Nimirum, licitum est affectu simplici deside-
rare, ut pollutio merè naturalis & omninò
involuntaria in somno eveniat, ob aliquem finem
bonum, v. g. tentationis sedandæ, vel sanitatis
recuperandæ. *Communior doctrina.* Navar. c. 16.
7, 8, 9. & plurimis citatis Sanch. Lessius, Val-
quez mox supra §. 2. in fine allati. Ratio autem
specialis & differentia pollutionis à fornicatione,
homi.

homicidio, & aliis peccatis est. Quia fornicatio, homicidium, &c. non sunt actus merè naturales, sed ex natura sua petunt esse actus morales ac liberi, seu hominis voluntati subditi: & cum intrinsicè mali sint, etsi ex defectu voluntarii possint excusari à culpa, non ideò à culpa excusabitur eorum desiderium voluntarium, ut jam dictum est. At verò pollutio vi naturæ proveniens nullatenus est actus hominis, nec ejus voluntati subiectus, sed est actus quidam, & evacuatio naturalis naturæ, sicut sudor & aliæ expulsiones: & sic facta omni profusus culpâ vacat, non ex defectu voluntarii vel liberi, sicut fornicatio, vel homicidium, sed quia naturâ suâ effectus merè naturalis est, & ideò voluntariè in illam tendere nullam contrahit malitiam: ergo sicut de ea sic facta gaudere, ita etiam ut sic naturaliter evehiat in somno (imò etiam in vigilia, *Vasquez, Sanch.* citati) propter bonum finem, desiderare licitè possum; intellige semper *desiderio, vel affectu simplici & inefficaci*: & dummodò illud desiderium simplex non sit ita intentum, ut moraliter evadat efficax, & probabiliter credatur fore causâ ipsius pollutionis. Constat enim apud omnes, ob nullum finem bonum vel causam (de morte evitanda aliqui contra sentiunt) licere efficaciter illam desiderare vel procurare, ut quomodolibet eveniat, sive in somno, sive in vigilia: tunc enim eo ipso non esset evacuatio naturalis, sed moralis, volita, seu procurata. Vide

Navarr. & Sanch.

sitt.

SUB.

SUBSECTIO III.

Delectatio morosa conditionata de re mala cogitata.

SUMMARIUM.

Quandounque licita sunt desideria conditionata, seu velleitates rei mala, sub eadem conditione etiam licita sunt delectationes morose rationales: non tamen sensibiles semper. Sic

Utraque delectatio morosa, rationalis & sensibilis sub conditione licita est de re tantum extrinsecè mala.

Ac etiam per se loquendo rationalis de re intrinsecè mala sub conditione auferente malitiam actus.

Non autem sensibilis de re intrinsecè mala, sub quacunque conditione, quando res secundum se, ut delectatur sensum, imbibitam habet malitiam.

Unde semper illicita est mortaliter delectatio morosa sensibilis venerea, directè voluntaria, sub quacunque conditione actu non existente, sive possibili, sive impossibili.

Regula.

Quandounque licita sunt desideria conditionata, seu velleitates rei mala, etiam licita sunt delectationes morose rationales de illa re sub eadem conditione; quia nimirum non est alienum recta ratione de eo gaudere, quod licet desiderari: non item licite erunt delectationes sensibiles, in nullo modo venerea.

EXPLICATIO.

Ratio discriminis inter utramque delectationem est. Quia delectatio rationalis seu gaudium in voluntate sequitur immediatè cognitionem intellectus: intellectus autem potest apprehendere, & proponere voluntati objectum ut constitutum

stitum conditione auferente omnem malitiam, ideoque etiam delectatio voluntatis tendens in illud objectum, sub ea conditione immunis erit a malitia. At verò delectatio sensibilis in appetitu sensitivo confurgit ex imaginatione sensibilis phantasiæ, seu potentiæ æstimatiuæ, quæ tendit in objectum sensibile absolute prout obijcit sensibus, nec ullam potest apponere conditionem; consequenter, si objectum absolute malum sit, etiam delectatio necessario mala erit. Et licet conditio apprehensa ab intellectu purget voluntatem, quatenus consentit in gaudium de objecto apprehenso, non tamen potest purgare voluntatem quatenus consentit in delectationem interiorè sensibilem tendentem in objectum absolute, & illa conditione destitutum. Jam exemplis mon-
stremus.

§. I.

Utraque delectatio licita.

36 **L**icita est delectatio morosa, non tantum rationalis, sed etiam sensibilis de re jure tantum positivo prohibita, sub conditione, *si liceret, vel, si prohibita non esset.* Ut si quis in Quadragesima videns alios ex dispensatione carnes edentes, & ipse de cogitato esu carnum delectetur, etiam sensibilibus, & non sine mora saliva. Si die jejuniæ similiter delecteris de cogitata cœna. Idemque est, si Carthusianus, vel aliquis votò obligatus jejunare, de esu carnum, vel cœna cogitata sese oblectet, supposita semper dicta conditione: *si liceret, si prohibita non esset.* Ut norant etiam Lessius
l. 4.

4. 6. 3. dub. 14. Laym. l. 1. Tract. 3. c. 6. n. 9.
Ratio est eadem, quæ supra num. 16. de desideriis
conditionatis. Quia nimirum delectatio rationalis
abstrahit, & per conditionem appositam ex-
cludit prohibitionem talis actus: delectatio verò
sensibilis tendit in illum actum absolute, quatenus
secundum substantiam suam bonus est, & nullo
modo tendit in ejus prohibitionem, quippe per
imaginationem sensitivam minimè cognitam.
Quemadmodum ergo Ecclesia in prohibitione
non efficit malum ipsum esum carnum secun-
dum se, ita neque delectationem, de earum esu co-
gitato secundum se, malam reddidit.

§. II.

Amplius licita delectatio rationalis.

Licita est delectatio rationalis de re etiam in-37
trinsecè mala, sub ea conditione, quæ si po-
teretur, reverà auferret malitiam actus, etiam in
materia venerea, per se loquendo, & seculo pe-
ccato consensus in aliud peccatum grave: mini-
mè verò sub conditione impossibili: *si liceret, si*
peccatum non esset: aut sub alia conditione nullo
modo auferente malitiam actus. Omnia dicta su-
nt in *secl. 3. num. 19. 20. 21.* de verbo ad verbum
referenda sunt. Eadem enim prorsus est ratio
de desideriis, ac de delectationibus rationalibus
conditionatis: imò adeò similis ratio est, ut disci-
plinam verbis explicare difficile sit. Confusim ex-
primunt doctores per verba: *vellem, placeret, cu-
perem, liberet &c.* At nonne hæc significant desi-
deria

deria & velleitates? Melius sic exprimes delectationem verbò indicativò: *delector*, *gaudeo*, *lætitia afficior*, cogitans hunc hominem occidere, si iudex essem, spoliare hunc divitem avarum, si Deus licentiam daret, hanc uxorem ducere, nisi ligatus, vel Religiosus essem: hanc amplecti, si mea uxor esset &c. Ubi tamen maximè in materia venerea cavendum periculum, juxta admonitionem factam *ibid. n. 19.*

§. III.

Non item licita est delectatio sensibilis huius.

38 **L**licita est omnis delectatio morosa sensibilis de re intrinsecè mala, sub quacunque conditione, etiamsi speculativè auferret malitiam actûs; ut si sensibiliter, non sine mutatione corporis & motu spirituum delecteris de cogitato homicidio proximi, si iudex esset; de gravi vindicta sumenda, si Deus permitteret; de copula cum aliena, si tua uxor esset &c. mortali a sunt eadem ratione, quæ de delectatione absoluta dictum est supra n. 23. Multò magis, si conditio esset impossibilis, aut nullo modo auferret malitiam actûs. *Sanchez cit. c. 2. n. 33. Filliuc. Tract. 21. c. 8. q. 10. alii.* Ratio jam data fuit in explicacione; & accedit; quòd in ejusmodi delectationibus sensibilibus deliberatis ferè accedant aliæ species peccatorum, ut iræ, odii, vindictæ, avaritiæ. In materia autem venerea vix credo posse esse delectationem sensibilem in corpore, quin fiat venerea. Sed nunquid nulla hîc locus habebit limitatio? Accipe hanc ingeniosam

inviolam ex *Valentia* 1.2. disp. 6. q. 4. punct. 2. in
Sanchez l. 1. *Moral.* c. 2. n. 35. in hunc fe-
 sensum.

Illicita est delectatio sensibilis de objecto ma-
 lo, quod secundum se, & ut delectat sensum, im-
 bitam malitiam habet, conditio verè excusans
 malitia, & non subsistens minimè percipitur,
 ut est in exemplis allatis, vindicta enim, homi-
 cidium, furtum, copula cum aliena &c. secun-
 dum se, & ut delectant sensualitatem, implicent
 deformitatem: conditiones verò, quæ excusarent
 malitia, si *Deus* permitteret, si *judex* essem, si
uxor esset &c. minimè apparent sensui, idè
 delectatio sensibilis de istis mala est mortalis pro-
 portione materiae. Non autem est illicita delectatio
 sensibilis de objecto malo, quando illud secundum
 se, & prout delectat sensum, nullam implicat ma-
 litiam vel deformitatem, sed bonum est, vel in-
 bonum sonat; conditio autem requisita, ut unde-
 quaque bona sint, sensibus non apparet. Ut si *Lai-
 cus* imaginando se *Sacerdotem*, magnòque fer-
 re *Confessiones* excipientem: aut se ex alterius
 pecunia numerosam *eleemosynam* distribuen-
 tem: aut se *judicem* rectissimè munus suum obe-
 dientem, de malefactoribus suis justissimas poenas
 exigentem: aut in bello injusto se *Ducem* strenuè
 ducentem exercitum, pugnantem, vincentem
 &c. atque ita se sensibiliter maximè oblectaret:
 nemo talem peccati gravioris condemnabit, licet
 objecta seu actus ipsi reverà jure naturæ essent il-
 liciti mortaliter. Quare? Quia actiones illæ se-

cundum se, & prout delectant sensum, nimirum audire sedulo Confessiones, elemosynas magnas dare, justitiam serio exequi, strenue pugnare, nullam implicant malitiam, sed bonum sonant: ac vero conditiones requisitæ, ad hoc ut omnino bonæ sint, videlicet, *jurisdictio, licentia Domini, officium judicis, justitia belli*, ex quarum defectu actiones illæ reverà malæ essent, sensui & delectationi minimè apparent, vel obijciuntur.

§. IV.

Et nullo modo venerea.

39 **I**licita mortaliter semper est delectatio morosa venerea, nimirum cum commotione carnis & spirituum genitalium, directè voluntaria, sub quacunque conditione actu non existente, sive possibili, sive impossibili. *Certissimum.* Non enim vidi, qui contrarium apertè doceret, nisi de parvitate materiæ, de qua *suprà à n. 18.* Ratio solidissima est. Quia ad hoc, ut actus humanus, maxime externus, sit licitus practicè, seu hic & nunc, debent omnes ejus circumstantiæ practicæ, seu hic & nunc esse licitæ: atqui delectatio morosa venerea, veluti inchoata quædam seminatio, verè est actus externus tendens in objectum prout est à parte rei: ergo ut licitus sit, omnes ejus circumstantiæ debent esse licitæ. Atqui ulterius consensus voluntatis in delectationem veneream ex cogitato concubitu cum non sua, sub conditione, *esset sua*, tendit reverà in objectum practicè, seu hic & nunc mortaliter illicitum; à parte rei enim

est non sua : conditio autem appofita: *fi effet fua* ,
 illam est objective in intellectu ; nec consequen-
 ter quidquã facit ad actũ præfentis delectationis ;
 nec ullo modo practicẽ aufert , ad folum specula-
 tive cogitatur auferre malitiam talis actûs : ergo
 quomodolibet morofus delectator , non quidem spe-
 culative , fed tantum practicẽ peccat mortaliter .
 Nunquid non licet defiderare uxorem alte-
 rius , ejusque complexum , fub conditione , fi effet
 libera à lege viri ; aut absolute in futurum , quando
 non libera à lege viri ? Ita licet . Sed difpari ratio-
 ne . Quia defiderium vel propositum , naturã fuã ,
 tendit in abfens , vel futurum ; fi ergo addatur con-
 ditio iustificans actum in futuro , licitum erit defi-
 derium , quia rem licitam defiderat : at verò de-
 lectatio morofa naturã fuã , tendit in rem præfen-
 tem ac velut poffeffam , faltem in apprehenfione ;
 adeoque fimpliciter mala est , fi objectum hîc &
 nunc illicitum fit , non obftante conditione obje-
 ctiva , vel futura tantum , quã nihil potest facere
 ad præfentem actualem delectationem tendentem
 ut præfentem . Denique nonô Decalogi
 præcepto *non concupifces &c.* non prohiberis de-
 lectare matrimonium & complexum fœminã ,
 quã modò uxor alterius est , fub conditione , fi
 non effet alterius , vel pro tempore , quando non
 effet amplius : fed folum prohiberis eam defidera-
 re pro hoc tempore , quando & quatenus ejus u-
 xor est : & confequenter etiam prohiberis actuali-
 ter hîc & nunc delectari venereè de ejus amplexu ,
 quando alterius , & non tua est . Et dicendum

L I 3

tibi

tibi. Si talis esset reverà tua, sicut specularis & supponis, non utique peccares de ea delectando: at quia tu defacto delectaris, & ipsa defacto non est tua, ideò tu defacto tantum peccas mortaliter, Ulteriùs, quia omnes judicabimur ex facto, ideò tu, in talibus impœnitens non quidem speculativè vel de possibili, sed practicè tantum, & defacto ibis in infernum.

SUBSECTIO IV.

Delectatio morosa Statibus applicata.

SUMMARIUM.

40. I. Solutis mortaliter illicita est omnis delectatio morosa sensibilis venerea: Sicut & desideria absoluta, vel consensus in opus turpe de presenti. Similiter
41. II. Pœnitentia, etiam mortaliter illicita est omnis venerea delectatio sensibilis, non tamen rationalis in copulam futuram
42. III. Viduis quòque mortaliter illicita est omnis delectatio morosa venerea, eque ac solutis: licita tamen etiam manent gaudium vel delectatio rationalis de copula præterita, & delectatione annexa.
43. IV. Conjugatis verò de se invicem, etiam absentibus, per se (excluso periculo pollutionis, & coitu inordinato) licita est delectatio morosa, vel consensus in copulam, sicut & alia ad eam dispositiva. (saltem citra mortale.)
44. In actu autem conjugali sibi imaginari aliam, vel alium, mortale est.
45. Factare seipsum de opere mortaliter malo, mortale est, de veniali, veniale
46. Quod verum est, sive verò, sive falsò quis se ita jactet.

Regula.

Quocunque statu illicita est ipsa copula carnalis nimirum extra matrimonium, etiam illicita est delectatio morosa venerea sub mortali: non item omnis delectatio rationalis.

Applicatio.

I. Solutis.

Illicita mortaliter est omnis delectatio morosa sensibilis venerea, captata, admissa, permessa, aut ex ipsa copula cogitata, sive absolute, sive sub conditione, si esset sua, vel suus: aut ex quocunque alio actu, cogitatione, imaginatione, aspectu, tactibus, osculis, amplexibus; nullâ etiam admissa parvitate materiæ à mortali excusante. *Supra n. 27. & num. 39. ac superius num. 18.* Absque tamen directa intentione vel consensu delectationis venereæ in prædictis actibus parvitate materiæ à mortali excusantem jam admisimus *cap. preced. num. 19.*

II. Illicita sunt eis mortaliter proposita & desideria absoluta, seu quivis consensus deliberatus in opus turpe de præsentis (non item desideria vel proposita de futuro quando contracto matrimonio, illi actus erunt liciti *supra num. 18.*) Sicut & omnis delectatio rationis de opere turpi cogitato vel imaginato, sive absoluta, sive sub conditione impossibili, vel nullo modo auferente malitiam actus: imò etiâ speculativa de ipsa imaginatione rerum obscænarum, *supra num. 29.* Non item illicita, periculosa tamen sunt Solutis

proposita, desideria, velleitatis, complacentiæ simplices, atque ipsæ delectationes rationales conditionatæ ejusmodi rerum, sub conditione auferente malitiam actûs. *suprà sparsim præsertim n. 19. 20. 37.*

II. Sponsis.

41 Illicita mortaliter est omnis delectatio sensibilis venerea & directè voluntaria, captata, admissa, permissa, tam ex ipsa copula futura cogitata, quàm ex cogitationibus, aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus inter ipsos libidinosos. *Navarrus c. 16. num. 9. aliisque citatis Sanchez l. 9. de matrim. d. 47.* Ratio est. Quia delectatio venerea tendit in copulam ut præsentem, & pollutionem re ipsa inchoat: at copula ipsis in eo statu adhuc mortaliter illicita est, secundum communem, & certam Doctorum sententiam: ergo & delectatio. Cæterum ipsa oscula, amplexus, & tactus, non nimium impudici ex objecto, & notabiliter moventes libidinem, inter sponsos ex sponsalibus cohonestantur, maximè si fiant ad bonum finem, puta, amoris conciliandi vel contestandi, etsi præter intentionem, & secluso periculo consensus, aut pollutionis, sequeretur commotio nonnulla sensibilis. *Navarr. cit. c. 16. num. 12. aliisque citatis Sanchez l. 9. de Matrim. n. 46. n. 47.*

II. Licita sunt Sponsis, non tantum consensus in ipsam copulam ut futuram, cum talis consensus, saltem implicitus, in ipso essentiali consensu contractûs matrimonii includatur; sed etiam de-

sude.

derium, gaudium, delectatio rationalis de futura copula, ejusque delectatione capienda. Cum enim ex ipsis sponsalibus contractis, talis copula, & delectatio aliquando futura sit, nunquid debent ea tritari, vel eam averfari? Licite ergo in eam consentire, de ea gaudere, complacere, & delectari possunt; cum hoc nihil aliud sit, quam gaudere de spe boni futuri, quæ spes præfens est, & licita. Dummodò semper absit periculum consensu turpis aut pollutionis. Sanchez, cit. disp. 47. Diana p. 3. Tract. 5. resol. 2. alii apud ipsos.

III. Viduis.

I. Licita quòque mortaliter est omnis delectatio ⁴² morosa venerea captata, admiffa, permiffa ex cogitata copula præterita tempore matrimonii, sicut ac omnis alia venerea voluptas, æquè, ac soluta. Navarr. c. 16. num. 10. & c. Si cui, de Penit. d. 1. n. 2. Corduba, Lopez, Vasquez, alii cum Sanchez, dicta disp. 47. n. 7. Ratio est eadem, quæ de sponsis: Quia nimirum viduis non est amplius licita, imò nec possibilis illa copula delectabilis, itaque nec licita erit actualis delectatio, naturâ suâ in copulam tendens, atque illam inchoans.

II. Licita tamen ipsis manent gaudium, complacentia, approbatio, ac delectatio rationalis tantum voluntatis de copula præterita, & delectatione annexa. Habent enim objectum licitum, licita enim fuit illa copula & delectatio, nec tenentur illam modò reprobare, vel detestari. Omnes.

L I § DICES.

DICES. Plus est approbare, quàm delectari tantum: sed viduis licet approbare copulam præteritam: ergo etiam de illa delectari. *Confirmatio.* Conjugibus licet delectari sensibilitè; de copula præterita & futura: cur non etiam sponsis de futura, ac viduis de præterita? *Respondetur distinguendo antecedens.* Plus est approbare, quàm delectari, delectatione rationali tantum in voluntate: *concedo totum:* & hinc eam delectationem etiam sponsis & viduis concessimus. Plus est approbare, quàm delectari, delectatione sensibili venerea: *nego antecedens.* Hæc enim delectatio, quia naturâ suâ tendit in copulam, non potest esse licita, nisi quibus licita est copula. Et hinc ad *Confirmationem*, negatur consequentia, & paritas. Quia conjugibus semper licita est copula, & idè etiam ejus delectatio: sponsis autem copula licet nondum, sed licebit: Viduis non licet amplius, sed licuit tantum.

IV. Conjugatis.

43 **S**icut per se semper licita est ipsa copula, ita etiam semper eis licita erit delectatio morosa de illa concepta quæcunque: quemadmodum eis etiam licent omnia alia ad copulam dispositiva inter sese, cogitationes, aspectus, colloquia, oscula, amplexus, tactus quicunque. Cui enim licitus est finis, etiam media ad illum finem naturaliter dispositiva licita esse debent. Et quidem, si prædicta fiant, ad honestum finem, utpotè præparandi ad copulam, aut etiam amorem conjugalem contestandi, omni culpa vacabunt: *sin autem*

em fiant absque animo copulandi, solius delectationis gratiâ, culpam venialem continent, tanquam excessus in re aliâ licita: Duobus tamen semper sub mortali exceptis. I. manifestò pollutionis prævisæ periculò, nisi sint in loco, ubi statim copula haberi possit, aut nisi justa causa excuset: v. g. medendi: certè conjugem ad reddendum tales tactus alteri petenti excusari censet Sanchez l. 9. de Matrim. disp. 45. n. 33. II. Excludit omni coitu innaturali, etiam leviter tantum inchoato, & animo non extra consummandi, &c. De his legere poteris Sanchez cit. lib. 9. disp. 17. 44. 45. Dianamp. 2. Tract. 17. Resol. 37. Martens. Tribun. p. 2. Tract. 7. Tit. 2. in appendice ac alios.

II. Quin etiam conjugibus licita manet delectatio morosa venerea (dummodo semper absit periculum pollutionis) etiam quando, absente altero conjuge, copula haberi non potest, aut aliunde ab intrinseco impedita esset; uti ex communiori latè docet Sanchez cit. disp. 44. à n. 13. Ratio jam sæpè dicta est, Quia talis est delectatio, qualis est actus: sed etiam tunc copula conjugibus suapte natura ab intrinseco licita est, & hic & nunc solum per accidens impeditur ab intrinseco, ut puta, per absentiam alterius conjugis, per supervenientem impotentiam, infirmitatem, puerperium &c. imò etiam, si ob incestum commissum conjux amisisset jus petendi debitum, licet enim ei adhuc reddere: ergo etiam delectatio. Licita, inquam, illa sunt, saltem citra peccatum

tum

tum mortale; cum sine dubio sint veniales deordinationes, ob defectum debiti finis, scilicet copulæ tunc impeditæ. Et duobus iterum casibus sub mortali exceptis. I. Quando practicè dubitatur de valore matrimonii, tunc enim illicita eis ab intrinseco est ipsa copulæ, ut incidenter monui c. 1. n. 77. post medium. II. Quando votum continentię esset emissum. Qui enim castitatem vovit conjux, tenetur abstinere ab omnibus, quæ adversantur castitati, salvo solummodo jure alterius conjugis debitum exigentis.

44 Denique apud omnes in confesso est, peccare mortaliter conjugem, dum in actu conjugali cum propria conjuge, imaginatur sibi aliam feminam vel personam carnaliter dilectam; hoc est, aut efficaciter desiderando eam hic & nunc habere loco conjugis, quod est verum mentale adulterium; aut morosè solum delectando se in imaginatione alterius personæ, quasi præsentis loco conjugis: est enim objectum hic & nunc mortaliter illicitum. Hoc enim esset imaginari *carnaliter dilectam*, ut loquuntur Doctores apud Sanchez, mox allegandum. Quod si autem imaginatio & delectatio conjugis versetur circa aliam personam, non ut carnaliter dilectam ullo affectu turpi, sed solum ut naturaliter delectantem, ob naturalem pulchritudinem seu formam amabilem, ea omnino ratione, quâ etiam delectaret formosa statua, vel imago picta, idque ad honestum finem sese provocandi, aut ut proles formosior concipiatur, per se loquendo, nullam saltem lethalem culpam rectè

esse agnoscit Sanchez eod. l. 9. d. 17. n. 4. etsi
merito fateatur rem esse plenam periculi, non fá-
cile permittendum, cãutissimè consulendum. Po-
tius permittendæ imagines, sed certè prophanæ,
non sacræ, ob gravissimum blasphemix pericu-
lum.

Dubium incidens.

Quale peccatum sit jactantia, gloriatio, laus
de re mala.

RESOLUTIO.

Si ipsum jactare, ostentare, laudare, vanè glo-45
riari de opere malo mortali, mortale est; de
veniali, veniale. Ex communi Sanchez l. 1. moral.
c. 3. num. 4. Ratio est. Quia jactantia de opere
malo continet ejus approbationem, & quandam
saltem implicitam complacentiam: ergo pecca-
tum est, quale est peccatum jactatum: imò potest,
& solet esse duplex peccatum mortale, unum ip-
sius jactantiæ, quærendo gloriam vel laudem ex re
mala, v. g. homicidio patrato vel adulterio; alte-
rum actualis gaudii, complacentiæ, vel delectatio-
nis de admissio peccato mortali, & hoc spectat ad
delectationem morosam, jam latissimè explicatam.
Unde ulterius in Confessione necessariò explican-
da sunt ipsa peccata, de quibus gloriatus es, at-
que eorum circumstantiæ speciem mutantem, ut si
gloriatus es de percussione Clerici, de violatione
Monialis, vel Conjugatæ &c. Uti contra Navar-
rum & alios cum aliis docet Sanchez *ibid.* n. 13.
Eadem enim prorsus est ratio, quæ de delectatione
mo-

morosa *suprà num. 24.* & non solum, quando ja-
ctantia continet actualem complacentiam & gau-
dium de malo admissio, sed etiam sine tali compla-
centia, ipsa jactantia secundum se adhuc aliquam
talis mali approbationem continet: ideoque ejus
speciem sortiri debet: dummodo jactantia revera
sit de ipso opere malo, quatenus talem malitiam
fundat. Qui enim se jactat vel gloriatur, non de
ipso opere malo, sed de sua tantum fortitudine,
ingenio, artificio, dexteritate in opere malo de-
monstratis, non erit culpa lethalis, ut notat San-
chez *ibid. n. 12.*

Resolutionis Extensio.

46 **I**dem dicendum, sive quis verè, sive falsò se ja-
ctet de opere malo, utrobique enim eadem mi-
lilat ratio. *Navarrus c. 23. n. 13. Sylv. Ang. alii-
cum Sanchez ibidem.* Hoc tamen potest esse di-
scrimen, quòd in jactantia veri criminis commissi
sæpius accedat actualis complacentia, & duplex
peccatum fiat, quàm in jactantia falsa.

II. Idem etiam dicendum de jactantibus vel
laudantibus alium de peccato admissio, verè vel fal-
sò. Quia hoc est verè peccatum alterius appro-
bare. Unde etiam mortaliter peccant, qui alium
vituperant, quòd præclaram occasionem pec-
candi, fornicandi, vindictam sumendi &c. præter-
miserit.

III. Etiam lethale est velle, vel acceptare lau-
dem ac gloriam ab aliis de opere mortaliter ma-
lo, sibi que, quòd ita laudetur, complacere: Non
tamen solum tacere semper. Quòd si cui enim
ita

laudato res ipsa displiceat, & solum præ vere
ndia taceret, non peccaret. Nav. n. 15. Sanchez
n. n. 10.

IV. Idem dicendum de audientibus alium se ja-
ntem vel jactatum de peccato mortali. Si enim
admirentur, complaceant, ac velut laude dignum
suspiciant ipsum opus malum, mortaliter pec-
cat: quia est vera approbatio operis mortalis. Se-
ntis, si solum admirentur, suspiciant, complaceant
male operantis viribus, arte, industriâ &c.



CAPUT VII.

DE

CAUSIS PECCATORUM,

ET

Peccatis Capitalibus.

Peccatorum causæ, aliæ per se sunt, & effecti-
væ, nimirum homo peccans, ejusque libera
voluntas, cum objecto & cæteris concurrentibus
requisitis, hactenus latè satis explicatis. Aliæ sunt
causæ per accidens & inductivæ: & hæc rursus aliæ
extrinsecæ, ut homo alliciens, dæmon tentans: ad-
dunt blasphemè Hæretici, Deus permittens. Aliæ
verò intrinsecæ ex parte ipsius hominis, & nume-
rantur communiter tres: ignorantia, infirmitas,
malitia. His affines sunt consuetudo, & contem-
ptus.